T
3023
F.

T 3023.
F.

49677 B
III. C. 99 42800

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE, DE HYDROPE.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

MEINARDI SIMONIS DU PUI,

CHIRURG. PRACTIC. ET ART. OBSTETR. PROF. ORD.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, & *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA *Honoribus & Privilegiis*

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

rite ac legitime conſequendis,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

SAMUEL ELIAS STEIN,

HAGA-BATAVUS.

Ad diem V. *Junii* MDCCXCIX. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD JACOBUM MEERBURG
MDCCXCIX.

IMPERIALE BIBLIOTHEQUE
Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.
Verwijderd K. B.

Si nolis Sanus, curres Hydropicus.

HORAT. *L.* I. *Ep.* 2. v. 34.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRO

PLURIMUM VENERANDO

ELIÆ STEIN,

PATRI CARISSIMO, OMNI PIETATE ATQUE OBSEQUIO AD EXTREMUM VITAE HALITUM COLENDO.

ERUDITIONIS FAMA CELEBERRIMIS VIRIS

MEDICINAE IN ACADEMIAE LUGDUNO BATAVA, PROFFESSORIBUS.

MEINARDO SIMONI DU PUI,

RECTORI MAGNIFICO,

EDUARDO SANDIFORT,

NICOLAO GEORGIO OOSTERDYK,

NICOLAO PARADYS,

PROMOTORI HONORATISSIMO,

SEBALDO JUSTINO BRUGMANS,

PRAECEPTORIBUS MEIS HONORATISSIMIS, EXOPTATISSIMIS, DE ME MEISQUE STUDIIS OPTIME MERITIS, OMNI AMORE ATQUE HONORIS CULTU NUMQUAM NON PROSEQUENDIS.

NEC

NEC NON

V I R O

EXPERTISSIMO, CLARISSIMO,

CORNELIO HENRICO VELSE,

MED. DOCT.

ANATOMES ET CHIRURGIAE PROFESSORI, SOCIETATIS BATAVAE ROTTEROD. SOCIO CONSULENTI, ULTRAJECTINAE MEMBRO, AMICITIAE USU MIHI JUNCTISSIMO, PLURIMUM HONORANDO, AD ROGUM USQUE DILIGENDO.

Has Studiorum primitias aeque ac ſe ipſum omni, qua par eſt, reverentia.

D. D. D.

A U C T O R.

PROŒMIUM.

Academicorum ſtudiorum ſpatium emenſus ex morbis, quibus miſeri mortales nimium eheu cruciantur, qualem malum corporis habitum, ut laudabili hujus Academiae inſtituto ſatisfacerem ac lauream doctoralem conſequerer, mihi tractandum ſumerem, diu animo haeſitavi; inter varia, quae mihi arriſerunt, argumenta, tandem Pathologico-PracticumEruditorum examini ſubmittere conſtitui, atque e chronicis morbis Hydropiſin breviter deſcribendam elegi: temerarium quis hoc vocaverit

conſilium, quippe ad tam gravem corporis affectionem rite cognoſcendam multo opus ſit ſtudio atque ad eam curandam non ſolum magna requiratur prudentia, ſed & longa experientia, quae ſtudiorum tirocinium depoſituro certe deficit; at vero Lectorem Benevolum monitum velim, ne quidquam aliud me hoc ſpecimine ſpectaſſe in animum inducat, niſi ut qualiumcunque meorum in Medicina progreſſuum rationem reddam ac fructus inde in praxin transferam; Hanc itaque veniam me eo facilius impetraturum confido, propterea quod nihil meo ingenio, cujus tenuitatis mihi probe conſcius ſum, ſed omnia, quae in hac Diſſertatiuncula in uſum verterim, tam inſtitutioni, quam in hujus Academiae Noſocomio factis Obſervationibus aeſtumatiſſimorum

prae-

Praeceptorum ac fide digniſſimorum auctorum teſtimoniis me accepta ferre aequis rerum arbitris abunde ſatis patebit.

In iis autem, quae de Hydrope proponere decrevi, ordinem obſervaturus Cap. 1°. egi de hujus morbi natura, 2°. de Proximis, 3°. de Remotis illius cauſis, 40. de Diagnoſi, 5°. de Symptomatibus, 6°. de Prognoſi, 70. de Cura, 8°. denique de Diaeta, qua in hoc morbo generaliter ſit utendum, quoniam vero ad graviſſimum hoc argumentum rite tractandum tempus mihi defuerit, ſingula, quae ad hanc materiam pertinent, non niſi rudi penicillo delineaſſe ſatis habere fui coactus, quamobrem ſicubi, quod certo certius eſt, erraverim, plura omiſerim, vel minus concinno ordine diſpo-

poſuerim, ea B. L. tua humanitate ac debita meae juvenili aetati indulgentia, corrigas, ſuppleas, emendes, meisque juvenilibus conatibus porro faveas, enixe rogo.

SPE-

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

HYDROPE.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Morbi.

Quicunque ad medendi artem animum ſit applicaturus, ſingulorum morborum indolem atque originem cognitas exploratasque habeat, neceſſe eſt.

Quum itaque ex tota malorum, quibuscum miſeri mortales ſaepe conflictantur, cohorte Hydropiſin deſcribere conſtituerim, antequam ad illius curam transgrediar, in vitioſi iſtius corporum habitus naturam & cauſſas diligenter inquirendi mihi incumbit neceſſitas.

Hydrops itaque conſtat in illo corporis ſtatu cachectico, qui cum humorum, in quadam

corporis cavitate vel tela celluloſa praeter naturam naſcentium, copia eſt conjunctus.

In unaquaque Hydropiſi locum habet tumor quidam frigidus qui nec dolorem creat nec vim elaſticam continet, ſed digiti impreſſi formam patitur atque aliquamdiu retinet, nonnunquam fluctuatione comitatus; aquoſae vero evacuationes, ut pote perſpiratio, urina, alvus, ſunt obſtructae, & tam irritabilitas quam ſenſibilitas quam maxime eſt imminuta.

Hoc autem corporis vitium, quod haud raro occurrit, licet plurimum ex aliis, tum chronicis, tum acutis, morbis oriatur, illud tamen ipſum etiam eſſe primitivum, nemo inficias iverit.

Corporis vero partes, in quibus Hydrops vulgo locum habere perſpicitur, ſunt vel cavitates, quae a natura in humano corpore ſunt formatae, vel quae praeter naturam nimia humorum copia efficiuntur.

Naturales cavitates ſunt abdomen, thorax,

ute-

uterus &c., aliae vero, quas praeter naturam aperiri videmus, in dura matre, peritoneo & aliis partibus inveniuntur.

Quum itaque Hydropiſis aliquando non ſolum totum occupat corpus, verum etiam aliquando certas quasdam illius afficit partes, inde pro ſingulis, quae hoc morbo premuntur, partibus, varia ficta ſunt nomina, ſic Hydrocephalum recte nominaveris, quo caput tumescit, hoc autem vitium in ſeptem iterum dividitur ſpecies, nempe 1°. cum in externis haereat integumentis; 2°. quum pericranium & oſſa cranii eo urgeantur; 3°. quum inter cranii oſſa & duram matrem locum habeat; 4°. quum dura & pia mater inde languescant; 5°. quum ſingularum membranarum duplicatura eo torqueatur; 6°. quum cerebri plicae hoc morbo laborent; 7°. quum in cerebri ventriculis humores aucti ſint atque accumulati; Bronchocele autem vocatur, quum hic morbus apparet in anteriore colli parte, nempe in membrana cellu-

lari aſperae arteriae, ubi multa dantur vaſa lymphatica; ſi autem hac aegritudine corripiatur pectus, Hydrothoracis nomine gaudet; pulmones vero ſi hoc vitioſo habitu laborent, appellatur Hydrops pulmonum; Abdomen ſi hydropiſi inturgescat, Ascites dicitur, cujus iterum tres ſpecies poſſunt referri; nempe 1°. quae haeret in duplicatura peritonei; 2°. quae in cavo abdominis peritoneum inter & viſcera locum occupat; 3°. quum lympha colligitur in vasculis lymphaticis & glandulis abdominis dilatatis; in ſcroto autem ſi aquae colluvies appareat, quae Hydrocele nuncupatur, ea iterum tres exhibet ſpecies, nempe 1°. in ſcroti membrana celluloſa; 2°. in peritonei productione; 3°. in tunica teſtium vaginali, in ovariis, (Hydropiſis ovarii dicta,) & in utero, (Hydropis uteri nomine inſignita,) qua tam intra quam extra graviditatis tempus mulieres discruciari nemo ignorat. —

Quum autem per totam corporis peripheriam aquae copia aggeritur, vocatur Anaſarca,

tum

tum enim veſiculae adipoſae lympha implentur, atque in celluloſa totius corporis tela ſub cute humores increscunt & coacervantur.

Omnes autem illae, quas enumeravimus, Hydropis ſpecies, tam generales, quam particulares, poſſunt eſſe vel idiophaticae, vel ſymtomathicae, vel primariae, vel ſecundariae.

Quandoque Hydrops etiam haeret in ſacco, (unde ſaccatus Hydrops dicitur,) quandoque in exiguis veſiculis, quae Hydatides nuncupantur.

Hae autem Hydatides ſunt tenuiſſimae atque aqua, vel ſero repletae veſiculae, quae in nonnullis corporis cavitatibus inveniuntur, ſuntque diverſae magnitudinis, ac botryonis inſtar cohaerentes nonnumquam cum aliis partibus conjunguntur, nonnunquam plane ſunt ſolutae ac veluti per ſe ſubſiſtunt.

Illas in multis corporis partibus occurrere, jam obſervavit RUISCHIUS; (1) inprimis vero

(1) *Obſ. Chir. p.* 33. aliasque obſerv.

ro reperiuntur in utero, (2) nec veteres Medicos eae latuiſſe videntur, quippe Aretaeus Cappadox (3) de ipſis jam mentionem facit, dicens: „ Aliam quandam Hydropis ſpeciem vi„ demus, quae hujusmodi eſt: veſiculae exi„ guae, crebrae, humore plenae, in loco, ubi „ fieri ſolet ascites, continentur; ceterum & „ humori multo innatant. Hoc hujusmodi „ affectus indicium eſt, ſi, perforato abdomi„ ne, liquorem educas, poſtquam paulisper „ fluxerit, veſicula intus occludet exitum; at „ ſi inſtrumentum rurſus immiſeris, iterum „ aqua profluet. "

Hydatidum cauſſam ſi quis inquirat, forte a veritate non abberraverit, ſi earum originem adſcribat morboſae lymphaticorum degenerationi, (4) ſimulac enim vas lymphaticum ſit di-

(2) BOERHAAVE *Prael. Acad.* v. 3. *p.* 12. &c. v. 5. *p.* 11. in notam Halleri litt. m. SMELLIE *Vroedkunde*, *T.* 2. *p.* 52.

(3) De cauſis & ſignis morborum diut. *C.* 1. *p.* 66.

(4) NUCKIUS *Adenog. curioſa*, *p.* 99.

diſtentum, vel alio loco ita contractum, ut inde capitulum ſeu ſphaera oriatur, adeſt Hydatis, quae aquam in ſe continet (5), a qua ſententia non alienus fuiſſe videtur BOERHAEVIUS (6) quum ſcribit: „ Neque videtur obji„ jici poſſe, meras eſſe vaſorum lymphatico„ rum varices, quae certe clauſam ſphaeram „ numquam fingerent, ut ſuperſit, etiam jam „ prius adfuiſſe cava ſphaerica, ſed inviſibilia, „ quae morboſa mutatio conſpicua reddiderit. "

De vera tamen Hydatidum origine longe ab eſt, ut inter omnes Medicorum filios conveniat; nonnulli enim has per vermes (Hydatigenas) creari poſſe exiſtimant, quidam per glandularum degenerationem eas produci ſtatuunt, dum alii earum cauſſam lympharum condenſationi tribuunt, quae vicinis juncta partibus cum illis arctiſſimam ineat ſocietatem (7).

Quum

(5) POHL *in Diſſ. Pract.* HALLERI *v.* 4. *p.* 271.
(6) *Lib. Cit. v.* 3. *p.* 11.
(7) KURT SPRENGEL *Handbuch der Pathologie, v.* 3. *p.* 409.

Quum itaque hac de re in diverſas auctores discedunt ſententias, jure merito, poſtquam rem bene ſecum reputaverit, concludit HAHNIUS (8): „ in theoretica contemplatione Hydatidum nos „ doctiores non reperimus, quam ante mille „ pluresque praeterea centenos annos ſe fateba- „ tur A. Cappadox. "

Quae ſententia quippe omni veritate non deſtituta videatur, nihil ſupereſt, niſi ut exſpectemus, donec experientia in poſterum diligentiſſimos rerum naturae exploratores de vera Hydatidum origine melius edoceat, quod ſperantes, dum nihil certi de ea conſtituere liceat, ad cauſſam hujus morbi proximam inquirendam ſumus tranſituri.

CA-

(8) *Ratio Medendi*, v. 1. p. 290–97.

CAPUT SECUNDUM.

De Cauſa Proxima.

Ab antiquiſſimis jam inde temporibus cognitum fuit atque obſervatum, vivi ſanique hominis corpus humore quodam lymphatico eſſe irroratum, qui per minimas arteriarum aperturas effunditur in cavitates membranasque celluloſas, inſtar roris cujusdam, qui tam ſuſtentationi, quam lubricationi organorum inſervit, cujusque abundantia per vaſa reſorbentia abſorbetur, quemadmodum experimentis A. KAVII abunde ſatis conſtat (9).

Hunc autem rorem tam per externas, quam in internis corporis partibus ſecerni, & vaporem ex tota corporis circumferentia in aëre frigidiore eſſe inprimis perſpicuum, humor ille,

(9) *Perſpirat. dicta* HIPP. *per univerſ. Corp.*

ille, qui cavitates animalium viventium aperiendo exhalat, abunde docet, verum tamen idem ille ros in ſanis corporibus iterum abſorbetur, antequam ad humorem condenſatur.

Poſt mortem vero hic conſpiſſatus ſub lymphae ſpecie in corpore apparet, praeſertim, quum cadaver jam defrixerit; praeterea idem locum habere poteſt, quum vitioſus corporis adſit habitus, qui impedit, quominus hic ros abſorbeatur, unde congeratur atque ad liquorem condenſetur neceſſe eſt, quemadmodum HIPPOCRATEM jam obſervaſſe patet ex dictis (10): „ quidquid enim minime coaluit, ſive pellicula, „ ſive carne tegatur, cavum eſt, quod, dum „ homo valet, ſpiritu quidem, dum vero ae„ grotat, ſanie plenum."

Quum igitur in tam ſingulis partibus, quam in toto corpore hoc ita comparatum ſit, inde patet, vaſa, ſi ſolito major exhalatio ex morboſa

(10) *De arte t.* II. *p.* 6. Ed. Foeſ.

ſa quadam cauſa oriatur, tam ſubito exhalatos non abſorberi poſſe vapores, ut nihil inde ſuperſit, quamobrem, ſi ea vaſa exſpirare perſeverent, humor iſte accumulatur, & ea pars, cui incluſus ſit, magis magisque diſtenditur, adeoque Hydropiſin adeſſe nemo amplius dubitat; eodem morbo corpus affici, ſi vaſa exhalantia vapores more ſolito emittant, ſed vitioſo quodam habitu ita interpelletur reſorbtio, ut parum vel nihil retromittatur, atque inde humorum colluvies eveniat, non eſt infitiandum.

Quoniam itaque totum corpus ubique exhalantibus ac reſorbentibus vaſis ſit inſtructum, mirum non eſt, vel minimam illius partem huic aegritudini eſſe obnoxiam, ut teſtatur A. CAPPADOX (11) „ porro in exigua nonnumquam „ parte, Hydropem homo patitur;" atque hinc concludere licet, exhalationem auctam cum imminuta reſorbtione, aut functiones has inter ma-

(11) *l. l. p.* 66. BOERHAAVE *aph. cog. & cur.* 1216.

malam interruptamque proportionem Hydropis, cujuscunque demum generis ſit, ſive idiopathici, ſive ſymtomathici, vel primarii, vel ſecundarii eſſe cauſam proximam.

Quum autem functiones ſint laeſae vaſorum abſorbentium atque exhalantium modo memoratae, cauſa proxima ſcilicet alias ſupponit cauſas praecedentes ſeu remotas, quarum congrua cognitio ad curationem feliciter peragendam quum maxime requiritur, eas inveſtigandi nobis incumbit neceſſitas.

CAPUT TERTIUM.

De Cauſis Remotis.

Humorum coacervatio, quae fit praeter naturam, variis cauſis remotis poteſt attribui, quae vel totum corpus vel ſingulas ejus partes afficiunt; huc pertinet Dilatatio, quae in oſculis vaſorum exhalantium locum habet, unde

unde fit, ut ſolito majorem emittant liquoris copiam, adeoque eo humore hanc illamve partem obruant: haec autem dilatatio originem debet ſolidorum debilitati, qua tales humores ex vaſis emittuntur, quales retinere deberent, vel plures ex iis, quam natura pati ſolet, liquores effluunt, unde primo humorum congeries, deinde diſtentio affectae partis, & denique Hydropiſis conſequitur.

Quum itaque haec ſolidorum debilitatio majorem producat exhalationem, omnes cauſae, unde ejusmodi debilitas oriri poſſit, heic in medium proferantur, quam maxime eſt neceſſarium.

Huc igitur omnes Chronicae evacuationes ſunt referendae, quoniam enim per eas multum ex integris ac ſanis ſuccis dispereat, humorum depravatio, vitioſus corporis habitus, ac per omnes ejus partes languor inde ſequuntur; ſanguis ergo vires, quibus gaudet ac movetur, etiam amittit; quum enim arteriae primam a

corde conſequantur motionem, atque iisdem inſtructae ſint viribus, ſanguinem in venas transmittunt, quamdiu modo parum virium ſuperſit; verum quum illae in univerſum fuerint debilitatae, etiam motus in venis remotioribus languescit, nec ſanguis, quem arteriae adduxerunt, eodem temporis puncto per venas retromittitur, unde congeries & vehemens exhalatio oriuntur (12).

Abortu etiam, puerperio, vulneribus (13), haemorrhagia narium, haemoptoſi, vomitu cruento, menſium nimio fluxu, haemorrhoidibus, mictu cruento, diarrhoea, dyſenteria, gonorrhoea, leucorrhoea, omnis generis febribus, & ulceribus externis videmus, robur & actionem noſtri corporis diminui, languorem ſuccedere, functionesque ſuum recuſare officium.

Ni-

(12) Hinc homines ſedentariae vivendi rationi asſuefactos in Hydropem incidere, ſaepius obſervaveris.

(13) LENTIN *Beytrage zur Artſeneywiſſenſchaft*, 1798. 8vo. *vol.* I. *p.* 184.

Nimio ſanguinis dispendio in abortu ac (14) puerperio maxima ruboris pars, quae ſolidiſſima eſt ac neceſſarium corpori praebet calorem, aufertur, aliaeque ſanguinis partes tenuiores ex magnis vaſis in minores tranſeunt ramos, ubi in amplioribus exilioribusque corporis cavitatibus coacervantur, adeoque viribus & calore neceſſario amiſſis, fieri omnino non poteſt, ut tenuiores ſanguinis partes vel exhalentur vel abſorbeantur.

Hydropem, ex mictu cruento oriundum, ubi debilitati renes urinam non amplius ſecernebant, commemorat SCHENKIUS (15).

Ex diuturna diarrhoea penuriam fluidorum, totiusque aliquando etiam corporis debilitatem oriri ſatis conſtat, nimio enim validorum ſanorumque ſuccorum dispendio corpus alentes atque ſuſtinentes ſucci dejiciuntur ac pereunt, nec

(14) HUFELAND *Journaal der practiſchen Heilkunde*, 4. *Band*. 3. *ſtuk*. *p*. 470.

(15) *Obſv*. 12. *p*. 434.

nec quisquam alimentis vires alvo fuſa amiſſas tam ſubito inſtaurare ſibique reddere poteſt, dum inteſtinorum debilitatorum languore functiones exſtinguuntur, ac totius corporis robur & vigor attenuantur, quemadmodum jam olim obſervavit CELSUS (16).

Dyſenteria (17) & narium haemorrhagia (18) aeque ac diarrhoea ſolidorum debilitatem vulgo excitari, Hydropemque inde proferri non eſt, quod ex Virorum Doctorum obſervationibus heic repetamus.

Omnis autem generis febres vitioſo corporis Hydropici habitui anſam praebere nemo negaverit, qui diuturnitate febrium ſolidarum partium languorem produci fuerit expertus, quippe haec debilitas in cauſa eſt, cur plus exhaletur quam reſorbeatur, quo magis itaque vires vi-

(16) *De Medicina*, *L.* II. *C.* 3. *p.* 33.

(17) STOLL *ratio Medendi*, *T.* III. *p.* 299. & *T.* VII. *p.* 110.

(18) SCHENK *Obſerv.* 9. *p.* 433.

vitales minuuntur, eo magis lymphae coacervantur (19).

Ex ſanguinis attenuatione etiam immoderata ac vehemens exhalatio poteſt oriri, quum enim ſanguinem ex craſſamento & ſero componi, atque aequalem utriusque modum, (quamquam ille modus vere ac rite determinari nequeat) locum habere conſtet, certum ſaltem eſt, alterum quandoque alterum quantitate poſſe ſuperare.

Si itaque ſeri tanta in ſanguine copia praeſto ſit, ut vaſa reſorbentia omne illud abſorbere nequeant, aut mediocris tantum ejus quantitas abſorbeatur, ſemper plus ex ſeroſa abundantia exhalatur, unde Hydropem conſequi nemo non intelligit.

Hinc etiam fit, ut perſpirationi impeditae, ſcorbuto, venenis, pluribus vel chronicis vel acu-

(19) Eodem modo vulnera atque ulcera inveterata corpus debilitando, Hydropem ſuscitare poſſunt.

acutis morbis, diuturnae ſub Jove calido aut frigido morae, temperamento phlegmatico, nimio calidorum potuum uſui Hydrops ſit attribuendus.

Quum perſpiratio ſit obſtructa (20) corpus quadam quantitate oneratur, ac ſolida debilitantur, praeterea ſi retenta materia diu corpori inhaereat, converti poteſt in viscidam vel acrem, unde diabroſis, diapedeſis, atque obſtructiones naſci poſſunt, unde humorum ſequi accumulationem per ſe patet.

Sic repentina corporum calidorum refrigeratione poteſt anaſarca produci (21), quin immo ſi quis aeſtu valido fervescens ſubito in locum humidum, V. C. cellam, ſe conferat.

Quum autem obſervatum eſt in languidis debilitatisque corporibus exhalationem eſſe fortiorem quam reſorbtionem (quae cauſa eſt, cur in

(20) Lentin *l. l. p.* 180. *Vol.* I. in nota.
(21) Aetius *Serm.* X. C. XX. *p.* 233.

in cadaveribus cavitates liquore repletae inveniantur) & nimiam ſeri copiam in corpore cum ſolidorum debilitate eſſe conjunctam, unde exhalatio augeatur atque reſorbtio minuatur, niſi aliqua via, ſive perſpiratione, ſive urina ſive alia ratione ejectio fiat, humorum coarcervationem oriri liquet, & quidem eo magis, quum nimia ſeri (vel aliorum humorum) in ſuccis noſtris copia per minimos arteriarum ramos in celluloſam, vel corporis cavitates poſſit infundi, quemadmodum celeberrimus HALESIUS (22) demonſtravit, qui aquae, quae tenuior eſt rubro ſanguine, faciliorem ex arteriarum finibus in venas eſſe tranſitum antea exiſtimavit, ſed hac opinione ſe deceptum agnovit erroremque correxit, quum aquam non per venas retrofluere, ſed per minimas, quas ruber ſanguis penetrare non poſſit, arterias in vacua celluloſae ſpatia transmitti videret.

Quo-

(22) HAEMASTATI *Exp.* XX. *p.* 143 *ſeqq.*

Quoniam ſcorbutus plerumque per obſtructiones Hydropem procreat, ſane hoc loco vix recenſeri meretur, verum, quia in ſcorbuto humorum attenuatio adeſt, ut plane ei locum heic negarem, a me impetrare non potui.

Scorbutus autem originem debet ſolidorum debilitati, atque humorum depravationi (23). quum autem hoc in morbo cruor diſſolvitur, ingeſta non recte concoquuntur, exſuccum ſuppeditant chylum, unde ſanguinis craſſamentum non ſolum diſſolvatur, ſed & partes feroſae, quum ſolidae languescant, in cavitates exſudent, acres fiunt & per diabroſin humorum accumulationem provocant.

Eodem modo comparata ſunt retropulſa exanthemata, & ſanguinem diſſolvendi facultate acritudines proferunt quam plurimas.

Quemadmodum autem venena ſolidas partes disſolvunt, debilitant, contrahunt, obſtruunt, ita

&

(23) *Praecept. Med. Pract. clar. viri* J. OOSTERDYK.

& fluidas attenuant, ſolvunt, exacuunt, unde luce clarius patet, ea eſſe idonea ad hunc morbum gignendum, Heic LENTINII ſententiam de ſtipticorum abuſu allegare non videtur alienum, monentis, ut a liberaliore & nimis audaci medicamentotum ſtipticorum & adſtringentium uſu caveatur, quippe a quibus non raro Hydrops oriatur (24).

Quum chronicis morbis corpora crucientur, ſolidae partes eorum vim ſuſtinere nequeunt, quin humorum depravatio conſequatur.

Solidarum partium vitium in languore, torpore, vel nexus diſſolutione conſiſtere nemo ignorat, ſi itaque ſolidarum partium debilitate morbi nascantur chronici, depravationem humorum inde vulgo oriri videas (25) quippe humorum collectio eſt ſucceſſura; ac quoniam ſyſtematis lymphatici functiones ſanguinis circu-

(24) *l. l. V.* I. *p.* 136.

(25) BOERHAAVE *de Cog. & cur. morb. aph.* 26—44.

culationi proportione adaequatas eſſe ſaepius jam fuit obſervatum, (unde omnia in morbis acutis areſcere, contra vero in chronicis aucta humorum, per lentam circulationem non abſorptorum, quantitate, omnia tumescere experientia docet,) in morbis chronicis exhalationem reſorbtione eſſe majorem, atque excedentibus humoribus partes tumescere eſt, cognitum atque exploratum (26).

Hoc autem non tam generaliter in morbis acutis obſervari, ſed in iis rem omnino aliter eſſe comparatam, concludere licet ex vehementi ſiti, quae aliquando eos concomitatur, nempe quamdiu morbus viget, humores vi febrium commoti per varias vias e corpore egeruntur, verum licet morbus minuatur, nihilominus aegroti ſiti laborare ac potionem ſumere pergunt, viribus itaque ſolidarum partium morbo debilitatis, flui-

(26) Quum heic vis vitalis admodum minuta ſit, optime ſeſe integram adhiberi ſinit, quae cauſa eſt, cur Paralitica membra aliquando aquoſis oedematoſis tumoribus attententur atque afficiantur.

ſluidae non amplius tam valide moveri poſſunt, ſed degenerant, coacervantur & extenduntur.

Humidus calidusque aër etiamſi perſpirationem primo promovet, nihilominus ſolidas partes laxando debilitandoque torporem promovendo eam diminuit (27), corporis enim languore humores coacervantur; quum autem humido huic aëri frigus adferatur, quantitas accumulati humoris magis magisque augebitur, quod etiam locum habet in calidis potionibus primum ſolidae partes laxantur, deinde humorum quantitas corpori infertur, qua aeque ae nimio potionum uſu circulatio retardatur, partes ſanguinis ſeroſae nimis accrescunt, extenduntur & aquoſas producunt collectiones. —

Quomodo ex vaſorum ſanguiferorum compreſſione atque obſtructione vel disruptione lymphaticorum colluvies aquoſae producantur, quivis intelligit.

Om-

(27) BOERHAAVE *Praelectiones Acad. ad* §. 748. *Vol.* VI.

Omni enim Mechanica preſſione Hydrops proferri poteſt, quum libera ſanguinis in vaſa majora tranſitio aliqua cauſa impediatur, tum enim ſtagnabit, vaſaque minora atque arteriae, (ubi ſanguis a venis rite non abſorbeatur, majorem humoris quantitatem exhalabunt (28) ac morbum producent; hinc in cruribus mulierum gravidarum, quarum iliaca ſupprimuntur, tumorem aquoſum increscere, vel eas anaſarca affici, quae vitia poſt partum iterum evanescunt, ſaepe videmus, quemadmodum LOWERI experimenta optime demonſtrant (29).

Aſthmatici vix Hydrope immunes manere poſſunt, quum ſanguis in eorum vaſis pulmonalibus, & haematophoris lentum habeat circuitum, vena cava circulationis impedimento ſangui-

(28) Quum ſingulas arterias in venam terminari ac ramo, qui cum exhalante vaſe conjungitur, eſſe inſtructas ſit veroſimillimum, major humorum copia, quando repugnantia venae adſit, in vas exhalans tranſeat, eſt necesſarium.

(29) *De Corde*, *C. 2. p.* 123.

guinem in cor dextrum evacuando non ſatis eſt idonea, unde fit, ut retrofluenti ſanguini mora injiciatur, venae minores ultra modum extendantur, quo vaſa exhalantia interim evaporare perſeverant, atque humorum gignunt accumulationem.

Ejusmodi effectus per polypos in corde dextro vaſisque majoribus ſanguineis per pulmonum obſtructiones & ex cadaverum ſectionibus etiam ſaepius ſunt obſervati (30).

Obſtructionibus viscerumque indurationibus vaſa ſanguinea quoque ſupprimuntur, motus retardatur, atque exhalatio per ſchirrhoſas lienis jecorisve indurationes augetur; per hoc enim vena cava decurrit, ſupprimique facile poteſt; ac quum hepatis obſtructio locum habeat, quae liberum ſanguinis ex vena portarum copio- ſi-

---

(30) Clar. C. H. VELSE *Diſſ. Pract. Obſerv. Path. tertia p.* 41.

ſique ejus ramis tranſitum (31) prohibeant, illud impedimentum augebit exhalationem.

Quoniam autem per plethoram, ſive naturalem, ſive ex ſuppreſſis evacuationibus (fluxu menſtruo, haemorrhoidibus), prognatam, minorum vaſorum orificia dilatantur, exhalationem inde praeter naturam produci, nullus eſt, qui neſciat.

Nimis repentino ac copioſo frigidae aquae uſu Hydropem nasci quis dubitat? quamvis enim in univerſum nimius liquidorum uſus ſecundum HALESII experimenta ſatis cito Hydropiſin excitare poſſit, ut ſupra jam obſervavimus, nullum tamen ejus morbi periculum adeſſe quivis percipit, ſi eorum quantitas vel per tranſpirationem, vel per urinam, vel per alias vias ejiciatur, quoniam vero in nonnullis caſibus contrarium obtinet, ſi liquores in cavitates exſiliant, quippe organa, ad humores e corpore exhauriendos accommodata, nonnumquam ad liquamina adhibita re-

(31) Ita ex iſtero Hydropem tali modo oriri ſaepe docet experientia.

repente e corpore depellenda, minus idonea ſunt, utpote variis caſibus, veluti nimis ſubita atque abundanti frigidae copia aliisque rationibus obſtructa, quia frigus vim habeat adſtringentem, per ſe patet, exhalandi, reſorbendi, tranſpirandi ejiciendique inſtrumenta adeo corrumpi, ut functiones ſuas rite exſequi nequeant: neque hi frigidae noxii effectus A. CAPPADOCEM aliosque veteres medicos latuerunt, quemadmodum ex ipſius apparet obſervationibus (32). „ Hydrops nonnunquam repente contrahitur e „ copioſo frigidae potu, cum prae ſiti quis „ multam avide aquam hauſerit." — Quin immo aquam pluviam & ſtatariam ad anaſarcam gignendum multum conferre credit HIPPOCRATES, (33) „ ſi quis per aeſtatis tempus ex „ longo viae itinere in aquam pluviam & ſta„ tariam inciderit, eamque avide copioſam bi„ be-

(32) *l. l. C. I. p. 66.*

(33) *De internis affectionibus, T. II. p. 546.*

„ berit; ſi igitur carnes aquam combibant & „ in ſe contineant, nusquam autem ſecedat, haec „ contingunt (deinde addit,) Hic quoad iter „ fecerit, nihil mali habere videtur, cum au„ tem ab itinere ceſſarit, ſolque occiderit, con„ feſtim multum laborem exhibet."

Hinc facile concludere licet cauſas, cur aëre humido frigidoque Hydropiſis oriri poſſit.

Immo ex imminuta urinae ſecretione eas naſci experientia docemur, quum ſcilicet in urinae obſtructione, cujus cauſa in vitio renum ſita eſt, (iſchuria renalis,) in vaſis ſanguineis occluſi impeditique humores quandoque in aliquot cavitates interiores ejiciantur.

Viſcerum obſtructiones atque humorum accumulationes nimio acrium fermentatorumque potuum uſu gignuntur; quum enim Alcohol vim ac poteſtatem habeat ſerum coagulandi, ſolidasque partes adſtringendi, atque largiore validiſſimi acerrimique vini uſu corpora efferves-

cant

cant & ſucci condenſentur (34) obſtructiones, hoc caſu duplici modo exoriuntur. (35) —

Quum vero ſatis demonſtraſſe videor, quo pacto in obſtructionibus cauſa Hydropis ſit quaerenda, nihil amplius heic addo, niſi effectum Corticis Peruviani inopportune adhibiti, febriumque intermittentium &c huc eſſe referendum eodemque modo explicandum.

Vaſorum Lymphas continentium disruptione tantam aquae effuſionem atque in cavitatibus accumulationem produci, ut inde Hydrops originem ducat, eſt veroſimillimum. Quum vaſa lymphatica libero ſanguinis motu impedito in venis extenta maneant, increſcente hac diſtentione facile rumpuntur, atque aqua in cavitates ejicitur; ita in cadavere ductus thoracici disruptionem, & inde chyli ac lymphae in pectus apor-

(34) VAN SWIETEN *Comment. in Aph.* 615. BOERH:

(35) In femina vino ſopita lienem, pancreas, pulmones arida & obdurata, atque omnes fere glandulas lapidi duritie ſimillimas detexerunt Medici, vid. *Acad. des Sciences l'an* 1706. *Hiſt. p.* 29.

aporrhoeam ejusmodi eſſe inventam memorat MONROO (36) ut ex pectore magna chyli copia ſit exhauſta atque in ductu thoracico foramen a tertia usque ad quartam thoracicarum vertebrarum articulationem fuerit repertum.

Quod ſi quis vaſa lymphatica tenuiſſimis instructa eſſe tunicis ac ſemper aquis eſſe repleta rite animadvertat, disruptionem eam vix in dubium eſt vocaturus; quum enim muſculi finitimi nimium comprimantur, vel alia accedente cauſa (37), maxima aquae copia per vaſa lymphatica rupta vel laeſa decurrit, quemadmodum teſtatur RUISCHIUS (38), Sic etiam ſaepe fit disruptio Hydatidum, quae in multis interioribus corporis partibus ortae liquores poſt ruptionem in cavitates effundere perſeverant.

Haec de vehementi exhalatione obſervaſſe con-

(36) *De Hydrope p.* 22.

(37) Huc referri poſſunt caſus, ubi renes, ureteres, vel urinaria veſica ſit disſciſſa vel disrupta, & urina ex his partibus in abdominis cavitates fuerit ejecta.

(38) *Obſerv. Anat. Chir.* No. 41. *p.* 40. STALPART v. D. WIEL, *Cent.* I. *Obſerv.* XLVI. *p.* 452 ad 57.

contentus imminutae reſorbtionis cauſas adhuc ſubjiciam, quibus additis, remotarum causarum investigationi ampliori ſuperſedebo.

Quum quadam cauſa impedimentum infertur, quo minus vaſa resorbentia ſuum praeſtent officium, vaſa exhalantia evaporare pergunt, unde humorum incrementum partiumque extenſio naſcatur, neceſſe eſt (39).

Resorbtionem non ſolum imminui, verum etiam omnino ceſſare poſſe per vaſorum resorbentium atoniam, quam maxime eſt veroſimile; haec autem atonia facile originem trahere poteſt ex eadem debilitate generali, qua accidit, ut ſolito plures exhalentur humores; in partium enim ſolidarum debilitate lente procedit circulatio, quum ergo reſorbtio, ut jam vidimus, circulationi ſit aequalis, admodum probabile eſt, vaſorum reſorbentium atoniam cum vaſorum exhalantium languore eſſe conjunctam atque adeo utri-

(39) Interim imminutae hujus reſorbtionis cauſas vix quisquam rite determinaverit.

utrique Hydropem eſſe attribuendum. Quinimmo exempla non deſunt, quae hanc confirment opinionem (40).

Fieri quoque poteſt, ut vaſorum reſorbentium orificia obſtruantur & ſic humorum tranſitus inhibeatur, quoniam illi vel nimis condenſati vel viſcidi in vaſis reſorbentibus haereant, dum interim vaſa exhalantia effundere ſuos pergunt liquores.

Spasmus & obduratio idem efficiunt; per acrimoniam quoque vaſa reſorbentia ita irritari poſſunt, ut orificia claudant ac nihil transmittant, quod locum habet, ſi per longam moram accumulati humores acrimoniam ſibi contraxerunt (41).

Exhalationis itaque auctae, imminutaeque reſorbtionis cauſis inveſtigatis. eas longe eſſe diverſas ac ſatis amplas percepimus, verum paucas

(40) LIEUTAUD *Hiſt. Anat. Med.*

(41) Acritates, quae inteſtina transmigrant, reſorbtionem eodem modo impediunt.

cas ex iis delibasſe ſufficiat cauſisque proximis porro inquirendis ſuperſedentes ad diagnoſin noſtri morbi tranſeamus.

CAPUT QUARTUM.

De Diagnoſi.

Hydropis autem diagnoſin nonnunquam eſſe difficillimam atque medicis in multos inducere errores eſt certiſſimum; quippe vel viſcera obdurata, vel eorum pondus ac gravitas aucta, vel mulieris graviditas, aliique caſus aliquando ad quoddam temporis ſpatium Hydropem ſimulare poſſunt.

Simulac ad fluctuationem foveasque digitorum impreſſione productas diligenter attendatur, per aquae delapſum ad eam partem, qua decumbit aegrotus, omnis fere dubitatio tollitur; porro ſi cavitates, in quibus humor eſt accumulatus, ita inde extendantur, ut, niſi cauſa quadam impe-

diantur, paulatim intumeſcant, item ſi membranae cavitatem cingentes, aliaeque partes nonnunquam huic cavitati incluſae, debilitentur ac laxentur; inprimis vero quum quantitas ejectorum humorum dispar ſit, atque inaequalis, hoc eſt, ſi minor liquoris copia ejiciatur, quam conſumitur, & partis affectae functio omnino ceſſet, parum a veritate abeſt, qui Hydropem adeſſe ſtatuat:

Quum morbi cauſae rite cognoſcantur, illius indolem ac naturam dijudicare aliquando eſt in proclivi; ſi igitur morbus dubitationem moveat, illius cauſas inveſtigare atque effectus conſulere oportet, ut de natura melius concluſio ac determinatio inſtituatur; verum ſi morbus jam per aliquot tempus perduraverit, eum ex cauſis dignoſcere multo eſt difficilius, quoniam verae, unde oriatur, cauſae ob rationes quam plurimas nec reſciſci nec inveſtigari poſſint.

Quod autem ad fluctuationem attinet, obſervaſſe non alienum videtur, in ea non ſemper

fidu-

fiduciam eſſe collocandam, neque acquieſcendum; quippe vel expertiſſimus medicus inde in errorem induci poſſit; in quadam enim parte interdum lympham ſe percepiſſe atque inveniſſe ſuſpicatur ac gaudet, dum in aliis omnino partibus eam inhaerere atque quaerendam eſſe omnium rerum optima magiſtra experientia doceat, quod patet ex hoc exemplo (42): Mulieri quadraginta ſeptem annos natae, quae tantum ex unici filii morte ceperat dolorem, ut in languorem incideret ac macie conficeretur, abdomen ſenſim ita intumuit, ut dubium, quin aſcites adeſſet, nemini relinqueretur; quid igitur? tentata eſt paracentheſis, verum quae quamvis vel quater repetita, ſemper ſucceſſu carebat, quippe nulla aquae gutta efflueret, quamquam fluctuationem adeſſe nemo non perciperet: at quid tandem? feminae moerore confectae cadavere aperto,

(42) *Memoires de l'Acad. des Sciences, p. 45. ſeq. l'an 1732.*

to, ſiniſtrum renem, qui totus quantus a ſtructura degeneraverat, tanta aquae copia obrutum detexerunt, ut triginta quinque librarum pondus exaequaret; liquorem itaque, cujus fluctuationem mulieris, dum vivebat, abdomini inhaerere perſuaſum ſibi habebant Medici, non niſi vacua, a rene tumido relicta intervalla occupaſſe tandem fuit cognitum, quamobrem paracentheſin, ad evacuandas aquas inſtitutam, minus proſpere ceſſiſe, nullus eſt, qui ſit admiraturus.

Quum itaque hinc appareat, quam ambigua ſint Hydropis ſigna atque dijudicatio, ad generalia hujus morbi ſymptomata, quae ad ejus diagnoſin multum conferunt, ſumus transgreſſuri.

CAPUT QUINTUM.

De Symptomatibus.

Inter generalia, quae hujus morbi praeſentiam demonſtrant, ſigna, partium affectarum tumori primum locum eſſe attribuendum nemo dubitaverit, qui humores in extraordinariam magnitudinem atque exaggerationem increſcere poſſe non ignoret.

Quum Hydrops ex ſuccorum attenuatione proficiscatur, ſemper oedema occurret, & quidem in iis locis, ubi ſanguis per venas aegre retrofluit, in primis in pede & id plerumque veſpertino tempore, quoniam vel ſedentaria vivendi ratione, vel corporeae motionis penuria, vel etiam aliquando calceamentorum attritu humores non ſatis agitentur atque impellantur.

Nonnunquam ab crurum intumeſcentia incipit

pit ſcorbutus (43): verum iste tumor ſcorbuticus non eſt tam mollis, digitorumque impreſſioni magis repugnat, nec foveam poſt ſe relinquit, quae, ſi in inferiore ſurae vel pedis parte ex digiti impreſſione remaneat, atque inprimis noctu appareat, ſed mane evaneſcat, SYDENHAMO (44) pro primis quidem, non tamen pro certis, ut ipſe addit, Hydropis ſignis habendum videbatur, quippe non ex uno duntaxat indicio, ſed ex plurium ſymptomatum frequentia Hydropiſis eſt colligenda atque explicanda, unde, ſi magna ſymptomatum copia concurrat, tunc demum hunc dignoſcere atque determinare multo eſt proclivius. —

Alterum Hydropis ſymptoma exhibet partium macies, quum ab accumulatis humoribus actiones organorum, quae ad chylificationem & nutritionem inſerviunt, debilitantur, vel aliâ quadam

(43) BOERHAAVE *Praxis Med. T.* V. *p.* 105.
(44) *De Hydrope Tract. p.* 608—609.

dam Hydropis cauſâ idem defectus producitur; quin immo aliquando jam antea partium emaciatio adeſt, veluti in cachecticis & cacochymicis tabes jam locum habet (45), quam Hydrops ſequitur, adeo ut origo hujus partium emaciationis facilis ſit intellectu, inſuper partes tumidae, quamdiu ſunt inflatae, vix nutritionis ſunt capaces, ſenſimque extabeſcunt.

Pro tertio Hydropis ſigno habendus eſt color pallidus, qui ex magna ſanguinis attenuatione cruorisque diminutione naſcitur, unde & iſte pallor quam plurimum in debilibus percipitur corporibus; chylum omnem, antequam in ſanguinem tranſeat, albi eſſe coloris, adeoque per humorum circuitum prius in ſanguinem eſſe convertendum, nemo ignorat; verum, quoniam corporis debilitas, circulationem retardat, haec chyli in ſanguinem transmutatio etiam lente procedit,

(45) Boerhaave *Praxis Med. T. V. p.* 119.

dit, palloremque producit (46), qui etiam ſaepiſſime in virginibus apparet, quum non rite menſtruant, unde in cholorofin incidunt; cauſam itaque, cur color pallidus fere ſemper Hydropem, ex ſolidarum partium debilitate oriundum, concomitetur, non eſt, quod anxie inquiramus.

Quartam Hydropis notam ſuppeditat urinae paucae nulliusque ſudoris excretio: Quum enim altera aquoſi humoris ſecretio augeatur, altera minuitur; quod aeſtatis tempore luce clarius patet, prout enim plus, ſudoris erumpit, eo minor urinae copia excernitur; per magnam itaque exhalationem in Hydrope haec etiam urinae ſecretio admodum imminuitur, ad quam adjuvandam frequens rubri ſanguinis motus in magnis vaſis requiritur, qui ſimulac vel rubrarum ſanguinis partium, (nimium forte reſolutarum,) penuria, vel vaſorum imminuto robore ceſſat, renum etiam ſecretio intermittitur, quemadmodum

(46) Boerhaave *Lib. modo Laud. T.* I. *p.* 254.

dum HALESII experimenta abunde ſatis teſtantur (47).

Haec etiam cauſa eſt, cur diaphoreſis ſupprimatur, quoniam enim in ſudoris expulſione requiritur, ut cutis naturali inſtructa ſit calore, ſi humores per arteriarum fines cutisque poros ſint erupturi, Hydropicos ſudore deſtitutos, atque cutis ſiccitate & aegritudine laborare, nemo in dubium eſt vocaturus.

Quintum Hydropiſis ſignum dabit ſitis, qua quidem hoc morbo affecti in initio non adeo laborant, ſed, quum per longum ſatis temporis ſpatium eo fuerint afflicti, magis magisque vexantur; quum enim lympha in cavitatibus colligitur, per venas non retrofluit, nec ſanguini miscetur, ſed accumulata manet, unde ſanguis indies liquiditate privatus ad circuitum per vaſa minima minus redditur idoneus, ſecretionesque magnam partem retardatae ceſſant, neque potiones ſi-

(47) *Haemaſtat. Exp.* XIV. *p.* 118. *Seq.*

ſitim exſtinguunt, quia non rite ſubiguntur & cum ſanguine commiſcentur, ſed per vaſa in dilatatas cavitates tanta copia tranſeunt, ut in vaſis nihil remaneat, unde partim humorum depravatione, partim increſcente: debilitate lentam febrim ac pulſum tardum ſequi, docet experientia.

Dyſpnoea, alvus dura aliaque indicia magis obſervantur in Aſcite, quod humores, ventrem inflantes, liberum diaphragmatis motum prohibeant, quum vero in abdomine vel aquae copia comprimantur inteſtina, vel temporis duiturnitate vires amittant, excrementa accumulantur, & in craſſis inteſtinis obdurata non niſi aegre ſunt dejicienda.

Veteres Medici haec ſymptomata non ignoraſſe videntur, quoniam A. CAPPADOX (48) jam monet: „ In omnibus pariter contingit, „ pallor, ſpirandi difficultas, ac tuſſis ſubinde

„ re-

(48) *l. l. C.* I. *p.* 65.

„ repetens, tardi ſunt, atque admodum pigri. „ cibum faſtidiunt, vel ſi quid aſſumant, quamquam exiguum, quodque inflare non aſſuevit, „ inflationibus replentur, & diſtentiones, tanquam ex nimia ſatietate percipiunt; corpus „ madore vacat, quo fit, ut vel in balneis ſudor ex his nequeat elici: albidi & effoeminati ſunt." Praeter jam commemorata ſymptomata, omnibus Hydropis generibus particularia ſunt ſymptomata, quae ſingulis ſunt communia.

CAPUT SEXTUM.

De Prognoſi.

Quod ad prognoſin attinet, hydropem eſſe periculoſiſſimum ac ſanatu difficillimum morbum, eſt procul omni dubio; nam quamquam illud periculum non ſit aeque magnum ac grave, ſed pro varietate ſedis, quam morbus occupat, &

pro natura liquoris accumulati, ac pro ſubjecti cauſis varietur, non tamen hoc impedit, quominus ſemper cum periculo ſit conjunctus, quemadmodum teſtatur A. CAPPADOX (49) „ Ceterum omnes ſpecies periculoſae ſunt; Hydrops quippe omnium morborum pernicioſiſſimus eſt " & antea inquit „ nam ex eo pauciſſimi evadunt, idque felicitate quadam, ac „ deorum, potius, quam artis auxilio. "

Omnis inveterata Hydropiſis ſummo eſt obnoxia periculo, quia longa humorum mora partes afficiuntur, & tum febres ac corporis exſiccatio jam adſunt, ſolidaeque partes nimis ſunt debilitatae, quemadmodum CELSUS monet (50) „ At ſi malum inveteravit, non ſine magna mole diſcutitur. "

Hydrops, qui Lienteriam ſequitur, eſt lethalis, quum ad hunc morbum tuſſis accedit, pro pe-

(49) *l. l. C. I. p* 66.
(50) *l. l. L.* 3. *C.* 21, *p.* 171.

periculoſo ducendum eſt, ſigno, quia pulmones jamjam compungi oſtendit. (51)

Haemorrhagiam narium plerumque aliquid mali portendit, (52) quia inferiorum corporis partium vaſa tumore nimis eſſe compreſſa indicat, tum enim ex capite ſanguis ad partes inferiores ſatis per venas remeare non poteſt; aliquando hoc narium ſtillicidium ſanguineum diſſolutionem humorum adeſſe ſignificat, quae ſi locum habeat, admodum eſt periculoſa.

Hydropis ſpecies ex polypis, ex condenſatione membranarum in vaſis, ex tumoribus, cor atque pulmones comprimentibus, oſſificationibus, ex viſcerum obſtructionibus, ex ſchirrhoſis jecoris ac lienis obdurationibus, ex ſteatomatibus, quae venam cavam comprimunt, denique omnes illae hydropiſis ſpecies ex vaſorum lymphaticorum, vel Hydatidum in viſcerum ſuperficie diſruptione, vel ex ſcrophuloſis

(51) Hipp. *Sect.* VI. *aph.* 35. & *Sect.* VII. *aph.* 47.
(52) *Niſi Hydropis cauſa ſit plethora.*

ſis meſenterii tumoribus natae ſunt inſanabiles; uti teſtatur A. CAPPADOX (53) „ Schirrhi in „ liene geniti discuſſiones non facillimae ſunt, „ quod ſi & ab hoc oriundi morbi proveniant, „ Hydrops aut cachexia inſanabile malum effec„ tum eſt, "

Sanationis ſpes dubia eſt, quum Hydrops ex languore vel atonia corporis, vel ex ſchirrhoſis praecipuorum viſcerum obdurationibus gignitur, quae Hydropem proferunt, non vaſorum compreſſione, ſed vaſorum exhalantium, quae inde oritur, atonia; etiam qui animi pathemata vim vitalem ſupprimentia E. G. triſtitiam ſequitur, vel ex nimio ſpirituoſarum ac fermentatarum potionum uſu trahit originem.

Quum autem hydropiſis oritur ex urina vel perſpiratione ſuppreſſa, ex retropulſis exanthematibus, ex plethora, item ex Haemorrhagia, diuturnis excretionibus oriuntur, dummodo debilitas ac depravatio virium cibos concoquentium

(53) *l. l. C.* 2. *p.* 128.

tium non nimis proceſſerunt, de illius morbi ſanatione haud eſt deſperandum.

Aliquando menſtruo haemorrhoidumque fluxu, vel exanthematibus, vel multae urinae (54) ſudorisque excretione feliciter Hydropiſis dirimitur.

Porro natura vomitum, diarrhoeam aliasque ejectiones ſecretionesque, quae maxime conducunt, dummodo morbo laborantem non nimium debilitent, ſponte producit, aliquando etiam per pedum poros atque exorta vulnera humoribus erumpentibus morbus plane relevatur.

Cetera, quae praecipue ad prognoſin pertinent, ab HIPPOCRATE commemorantur his verbis (55) „ Qui aqua inter cutem detentus „ eſt, & ſervari volet, eum robuſtis visceribus „ & contentis viribus eſſe convenit, ſimulque „ ſuapte natura facile concoquere, ac bene „ ſpi-

(54) Dummodo urina ſit neque nimis rubicunda, neque nimis condenſata.

(55) *Loc. praed. p.* 89.

„ ſpirare, ſine dolore eſſe, totumque corpus
„ aequabiliter calere, neque extremis partibus
„ eſſe colliquefactum; praeſtat namque potius
„ extrema tumefacta eſſe, etſi optimum eſt,
„ nihil horum adeſſe, verum tum mollia, tum
„ gracilia extrema eſſe oportet, ventrem con-
„ tactu mollem, at neque tuſſim, neque ſitim
„ adeſſe convenit, neque linguam, cum alias,
„ tum ne a ſomno quidem, quod admodum
„ fieri ſolet, inareſcere; cibos autem ſuaviter,
„ aſſumere, ac ubi quis abunde comederit,
„ nihil affligi, ventrem quoque medicamentis
„ quidem celeriter moveri, alias vero mollia
„ & figurata excernere, urinam in tranſitu pro
„ inſtituta victus ratione, & vinorum mutatio-
„ ne, mutationem ſentire; defatigationem faci-
„ le ſuſtinere, nec laſſitudinem ſentire; atque
„ ſic quidem in totum hominem ſe gerere,
„ optimum, ut quam ſecurriſſime convaleſcat;
„ Sin minus, horum ut plurima habeat; ſic
„ enim ſpem fore, ut evadat; in quo vero nihil
„ ho-

„ horum ineſt, ſed contraria ſubſequuntur, „ in eo ſpem tolli animadvertendum eſt."

Ex his omnibus, quae diximus, igitur liquida apparet, quo magis functiones ſint corruptae, morbum eo eſſe periculoſiorem.

CAPUT SEPTIMUM.

De Cura.

Postquam fere omnia, quae ad Hydropem pertinent, generaliter ac carptim ſumus perſecuti, nihil reſtat, niſi ut curam conſtituamus univerſalem.

Si quis memoratas hujus morbi cauſſas atque effectus diligenter attendat, non anxie rationes anquiret, quibus haec cura ſit inſtituenda, eamque percipiet ad has tres indicationes eſſe referendam:

1°. Ut avertantur cauſae remotae,

2°. Ut depellantur humores accumulati,

G 3°. Ut

3°. Ut nova liquorum collectio aliique hujus morbi effectus prohibeantur.

Quae licet ſufficere videantur ad aegrotum Hydropiſi liberandum, ac praecavendum, ne morbus renaſcatur, in hujus ſanatione tamen individua ſingulorum corporum conſtitutio, exhalatorumque liquorum natura, origo, praeſens conditio, ſedes, ac temporis, quo humores accumulati fuerint, diuturnitas rite ſunt inveſtiganda atque obſervanda, antequam remedia ad ſanitatem reſtituendam decernantur atque accommodentur.

Quoniam vero illa remedia tam varia ſunt, quam hujus morbi cauſae, ejus ſanationem eſſe difficillimam ac longam patientiam moramque ſibi requirere quivis intelligit.

Si itaque quis unquam ſibi de felici in hoc morbo curando ſucceſſu ſit gratulaturus, ejus ſcaturigines accuratiſſime inveſtiget, cognitas exploratasque habeat, ac ſingulis cauſis propria op-

po-

ponat applicetque remedia quam maxime eſt neceſſarium.

I[a]. Indicat:

Quum autem pro praecipuis Hydropici morbi cauſis habendae ſunt viſcerum obſtructiones, impedimenta in vaſis ſanguineis compreſſiones, obſtructiones & disruptiones vaſorum lymphaticorum, variae acrimoniae, E. C. retropulſa exanthemata, immo etiam arthriticae & venerae &c. Suppreſſa perſpiratio, timia vaſorum exhalantium & reſorbentium atque celluloſae, vel generalis debilitas corporis, plethora, ſpasmi, quae exhalationem ac reſorbtionem impediunt, ad diverſas illas ſpecies curam eſſe accommodandam nullus eſt, qui non percipiat; verum quum heic omnes illas varias, quae ſingulis cauſis curandis inſerviunt, rationes enumerare longum eſt, eas attigiſſe ſuffecerit.

In viscerum obſtructionibus plurimum conducunt deobſtruentia, reſolventia, diluentia &c.

Len-

LENTINUS memorat (56) obſtructi hepatis ſanationem per extr. cicutae & marrubii in liq. terr. fol. tart. ſoluti, cui addita fuit ptiſana ex radice marrubii, graminis & taraxici, praeterea aliquando adhibito ad hepar linimento cum unguento ex tribus vulgaris camphorae albae partibus & una parte unguenti mercurialis; item contra ſymptomata ligatura Thedeniana amaris ſaponaceis remediis applicandis; hanc curandi rationem allegaſſe non alienum viſum fuit, ut pote commendatione dignam in ſanando Hydrope, quae ex obſtructo Hepate ducit originem.

In contractionibus & disruptionibus vaſorum lymphaticorum, ut pote quae ex variis cauſis oriuntur, generalia certa remedia conſtitui non poſſunt, ſed pro diverſa, quae cognoſcitur, origine differenti ratione ſunt praeſcribenda.

Retropulſa exanthemata ſi occurrant, opera danda eſt, ut iterum foras extrudantur, quod [illegible] fit

(56) *l. l. T. I. p.* 131.

fit ope diaphoreticorum, frictionum, balneorum, ceterorumque ejusmodi remediorum.

Quum vero Hydrops ex retroacta ſcabie oriatur, quod ſaepius accidit, inter remedia hoc caſu primum locum meretur ſulphur, quod in ſcabie foras expellenda ſaepiſſime multum profuiſſe docet HUFELANDUS (57), qui illud pro optime abſorbente atque urinam dijiciente medicamento in hoc morbo habendum (58) exiſtimat (59), ſcabies per inſitionem, atque cum ſcabioſis hominibus familiarem conſuetudinem iterum foras poſſit extrudi.

Arthriticarum venerearumque acrimoniarum cura pro ſingularum peculiari indole eſt inſtitu-

(57) *Journal* &c. 4. *Band* 3 *Stuck p.* 600.

(58) *Idem lib. Nota ad p.* 600.

(59. Nucem vomicam quidem eadem ſcabiem in cutis ſuperficiem reducendi poteſtate gaudere obſervat GULDBRANDIUS (vid. *amiciſſimi olim Commilitonis* J. WEYL *de nuce vomica Diſſ p.* 41.) Sed propter vehementes, quos profert, effectus non eſt commendanda, quin per ſe ſimpliciter adhibita ab hominibus natura debilibus vitanda ac rejicienda eſt, eo magis, quod meliora contra ſcabiem retropulſam praeſto ſunt remedia.

tuenda; in poſterioribus Mecurius nitroſus, opportune adhibitus, quam plurimum urinae excernendae inſervit (60).

In ſupreſſa perſpiratione vulgo praeſcribuntur aperientia & antimonialia remedia V. C. Rad. 5. Aperient. Polygala Virg. &, pulvis autem DOWERI, & Spiritus Mindereri mixtus cum Vino Antim HUXH. hoc caſu palmam ferunt.

Ad ſolidorum debilitatem curandam quam maxime neceſſaria ſunt roborantia, amaricantia, extracta, amara eupepta, euchyma, frictiones, motus muſculorum, in caſu noſtro mixtura ex ſalibus alcalinis, extractis amaris atque aceto ſquillitico (61) optimum eſt remedium.

Plethora ſi Hydropis cauſa ſit, venae ſectione ſaepiſſime totus tollitur morbus (62), victus antiphlogiſticus, decocta emollientia, nitroſa, acidula, ſerum lactis cum terra fol. tart, ta-

(60) SELLE *Med. Clin. p.* 276.

(61) HUFELAND *l. l. p.* 472.

(62) BURSERIUS *V.* 4. *p.* 176. Mead. *Mon. & pracc. p.* 87.

vel ſerum lactis tamarindinatum in hac morbi Hydropici ſpecie ſunt utiliſſima (63).

Ubi paralyſis ac vaſorum perſpirantium ſpasmus Hydropiſin producunt, prior irritantibus, corroborantibus remediis, balneis, vapore accenſi ſpiritus Juniperi, ſiccis balneis (64), cum ſpiritu ſalis ammon. aquoſ. & olei camphorati infrictionibus eſt curanda; heic ſilentio non eſt praetermittendus pulpae, ex allio vulgari confectae in ſudore atque urina ejicienda atque anaſarcam cum vaſorum lymphaticorum dyſinecesia conjunctam depellendam ſucceſſus proſperrimus, (65) poſterior vero, nempe Hydropis cauſa ſpasmodica remediis antispasmodicis, quae heic locum habent, eſt medicanda; HUFELANDUS remedium, unde in Hydropes ſpasmo oriundos maximam redundaſſe utilitatem

ſe

(63) STOLL *Ratio Medendi*, *Tom.* III. *p.* 303.
(64) CELSUS *L.* 3. *C.* 21. *p.* 171. *l. l.*
(65) LENTIN *V.* I. *p.* 181.

ſe expertum, teſtatur, ſuadet ac praeſcribit (66) hoc.

℞. Pulv Rad. Squill. ʒß.
Coq. c. aq font. ℥x ad rem. ℥viij.
Sub fine adde
Pulv. Rad. Valerian. ʒij.
Colatur. — adde
Pulv. Gum. Guajac. ʒij.
Mucilag. Gum. Arabic, ʒiß.
Tinct. Antimon. Acris ʒij.
Laud. Liq. Sydenh. gtt. xx.
Sp. Nit. Dulc. ʒij.
Syr. Cort. aurant. ℥j.
Sig. j Cochl. ſingulis bihoriis.

Vir Clariſſimus addit hanc admonitionem, ut, quicunque hanc formulam ex remedio aequo pluribus eſſe compoſitam exiſtimet, in multarum ſubſtantiarum compoſitione nonnumquam omnem remedii vim ac poteſtatem quaerendam eſſe diſcat & obſervet.

Ad memoratas cauſas remotas praeterea referri poſſunt nimiae ſanguinis evacuationes, nimis

(66) *Vid. notæ in l. l. 5. Band. 3 ſt. p. 650.*

nimis dilutarum ac ſpirituoſarum potionum abuſus, in duobus prioribus caſibus Roborantia, Martialia, Tonica, Amara, Stomachica, E. C. Abſynthium, Cortex Aurantiorum, Caſcarillae, Cortex Peruvianus, Lignum quaſſiae multum valent.

Spirituoſis potionibus ſi qui nimis ſunt deditі, id agendum eſt, ut ab hac mala conſuetudine avocentur, quo plurimum conferre videtur LENTINIANA methodus (67), quae hoc modo inſtituitur: quum tumor nondum admodum increverit, adhibetur Thom. Chin. vinum, cum Marte mixtum, in quo Extr. quaſſiae eſt ſolutum, ſi vero diarrhoea adſit, additur Extr. lign. Campech.; porro ut bibaculi poculis exhauriendis deſueſcant, opportuniſſimum ſuppeditat idem auctor remedium, tempore ve-

(67) Quum Spirituoſarum potionum nimius uſus Hydropem non proferat, facilior tamen iis deſueſcendi ratio ſuppeditatur ab HUFELANDO vid. lib. *die kunst das menschliche Leben zu verlangern*, 2. *practicher Theil.* p. 38.

veſpertino cochlearium impletur pulvere groſſo Cort. aurant. atque ſic immiscetur poculo aqua repleto, in quo bene obturato proxima nocte pulvis maceratur, ſequenti mane agitatur eique agitato, ſive per ſubſidentiam ſive per filtrationem clareſcat, adduntur duo cochleria, Cahorte vel Margo repleta, cum quantitate ſacchari: hoc poculum matutino tempore per vices alternas exhauriendum propinatur, addito toſti ſimilaginei panis fragmento; hinc naturalem neceſſitatem expleri, ſitiendique ardorem exſtingui, ac praeſens damnum paulatim reparari monet LENTIN, qui etiam ſolito bibendi tempore non niſi Thom. vinum ſorbillandum praeſcribit, quippe hinc ſpiritualibus magis deſuescendi, perditasque vires recuperandi facultas praebeatur. Hoc pacto omnes Hydropis cauſae ſunt inveſtigandae, iisque ſingulis remedia propria opponenda, quibus morbus averti, humorum accumulatio eo facilius prohiberi, ac jam coacervati liquores ejici poſſint.

2da.

2da. Indicat:

Humores in variis noſtri corporis cavitatibus collecti per varias vias inde depelli poſſunt, hoc autem fit duplici modo, vel quum extemplo accumulatis liquoribus opportunus exitus aperiatur vel quum per vaſa reſorbentia corpori invehantur, circumfluentibus humoribus admiſceantur & per varia emunctoria ex corpore emittantur.

Hoc vero locum habet, ſive humor per vaſa abſorbentia reſorbeatur & deinde per renes ſecretus urina depellatur, ſive aucto calore attenuatus atque reſorbtus per tranſpirationem excernatur; nonnumquam & fieri poteſt, ut humorum colluvies per vomitum exhauriatur, quo caſu tamen liquor prius reſorbendus atque in in Stomachum derivandus; & tandem per alvum accidere poteſt, ut humores expellantur (68).

Duo

(68) Per ſalivationem aliquando humores depelli, experientia docuit.

Duo, quibus humores reſorbtionem non deſiderent, ſed immediate ejiciantur, modi nobis inquirendi ſuperſunt; ſi aqua in minoribus colligatur cavitatibus, vel per parvum cuti inflictum vulnus, vel per veſicantia effici poteſt, ut inde ſponte effluat; ſin in magna cavitate lymphae colluvies locum habeat, modo dicta methodus non valet, ſed per artificialem aperturam exitus eſt ſuppeditandus.

Modi itaque, quibus ſecundae ſatisfiat indicationi, ſunt excluſiones humorum: 1o. per urinam, 2o. per ſudorem, 3°. per vomitum, 4°. per alvum, 5°. per adornatos exitus, 6o. per magnas arte confectas aperturas.

Ad 1um.

Quoniam aquam in ſanguine ex multis tenuibus potionibus, vel ex impedita perſpiratione collectam plerumque per renes ex corpore ſecerni videmus, naturam hac in re imitari ac idoneis remediis ſupervacuos humores per ſyſtema uroepoeticum depellere conati ſunt Medici;

haec

haec inveſtigatio ſucceſſit in diureticis, quae non ſolum ſuperfluam aquam, humoribus inhaerentem, depellendo inſerviunt, ſed & ſtimulo ſuo efficiunt, ut reſorbtio in iis locis, ubi colluvies locum habeat, officium exſequatur & per ſyſtema circulatorium aqua ad renes deducatur, atque ita ex corpore depellatur; diuretica enim plerumque praevalent aliis remediis, quae per alias vias lympham ejiciunt, quemadmodum teſtatur SYDENHAMUS „ Hydropes, pro deplo„ ratis habitos, curatos vidi in iis, quorum cra„ ſis debilior purgantibus ferendis non fuit, „ ſolo uſu diureticorum," qui quum antea per vomitoria ac purgantia remedia hunc morbum curare fuiſſet ſolitus, tandem ſibi ad diuretica confugiendum fuiſſe fateri non erubeſcat; quae tamen omnia commemorare quoniam non eſt neceſſe, pauca & quidem praecipua attigiſſe ſufficiat.

Inter diuretica medicamenta Cremor Tartari Solub. feliciſſimum pollicetur eventum; in rheu-

maticis, biliofis ac catharrhalibus morbis magno cum ſucceſſu eum adhiberi experti ſunt complures Viri Expertiſſimi; quum ſeorſim praeſcribatur, nonnumquam minus conſilio reſpondet, ex omnibus commendatione digniſſimum duireticum, experientia de ejus utilitate edoctus Vir Expert: SELIG (69) contineri hac formula affirmat.

℞ Crem. Tart. Solub. ℥j
Spir. Nit. Dulc. ʒij.
Oxymell. Squill: ℥j.
Aq. Menth Criſp. ℥viij.
S. Singulis bihoriis duo cochl.

Simili modo hic cremor miſceri poteſt gummi Guaj. vel ſquilla vel nitro vel pulvere rad. cochl. unde egregii producuntur effectus.

Quantum Terra fol. tart. valeat, ac quam efficaces proferat operationes duireticas, ſive ſeparatim, ſive aceto ſquillitico, vel oxymelli mixta adhibeatur, neminem latet; attamen liquor ter-

(69) HUFELAND *Journal &c.* 3. *B.* 2. *ſt.* *p.* 291.

terrae fol. tart. aquoſus in hoc morbo praeſtantior eſt ſpirituoſo, quippe vini ſpiritus vim ſolutivam impedire videatur.

Alcalia autem non minus ſunt commendanda, nec quidquam intereſt, quale alcali adhibeatur, conſtat enim, variorum alcalium remediorum, quae in Pharmacopolarum officinis venalia proſtant, vim ac poteſtatem in ipſo alcali eſſe ſitam, quumque omnes plantarum cineres una eademque alcali gaudeant, nihil refert, utrum cineres geniſtae, ſal abſynthii, an vero cineres clavellati &c. adhibeantur, verum varia alcalium genera ſimul miſcere ridiculum eſt; pro iis enim duplex unius alcali doſis praeſcribi poteſt, quippe effectus par atque aequalis inde appareat.

Aërem fixum egregii diuretici vice fungi quis dubitat? aquarum mineralium effectus hinc dependere videntur, eamque ob cauſam mixtura alcali cum acido per effervescentiam praecipitur; haec vocatur Potio Riveriana ac duplici

mo-

modo poteſt adhiberi, ſumitur enim alcali ℈j, mixti cum uno cochleari ſucci citri, qui per effervescentiam aqua eſt rarefactus, vel prius praeſcribitur alcali ℈j & deinde ſuccus citri, qui aqua deſtillata eſt attenuatus adeo ut effervescentia in Stomacho efficiatur.

Spiritus Mindereri etiam ad diuretica pertinet remedia, quamquam ſaepius pro diaphoretico adhibeatur; quemadmodum enim conſtans atque vulguaris lex eſſe videtur, ut nonnulla remedia, quae in calido regimine diaphoreticorum officium praeſtent, in frigido regimine duireticos effectus producunt; idem obſervandum eſt in Spir. Mindereri; hujus vero diuretici effectus augetur, ſi alio diuretico remedio commisceatur, compoſitionem recentioribus temporibus commendatam heic proponere mihi haud inopportunum videtur (70).

℞

(70) HUFELAND *l. l.* 3. *B.* 3. *ſt.* *p.* 628.

℞. Aq. Juniperi ℥viij.
Spir. Mind. ℥iij.
Oxym. Squill. vel Colch. } ℥j. vel ℥ij.
vel Roob. ebuli, vel Junip. }

& haec mixtura adhuc plus utilitatis adfert, quum ei addatur vin. Antim. Huxh. ʒj. (71).

De ſcilla autem adhuc eſt obſervandum, quod, licet efficaciſſimum adverſus Hydropem ſit remedium, dummodo opportune adhibeatur, propter magnam, quae ipſi propria eſt, ſtimulandi vim, non niſi mediocribus doſibus ſit exhibenda, & quidem in initio ab uno usque vel ad 10 grana (72) ſalibus neutris miſceri amat, ſi ſtomachus eam ferre non poſſit, aromatibus miscetur, (73) vel infuſi inſtar appli-ca-

(71) Mixtura a SWIETENIO praeſcripta praeſtantiſſimi etiam eſt uſus, quippe quae fere ex meris conſtat diureticis. ℞. Rob. Baccar. Junip. ℥iv. Sol. in aq. Stillat. Junip. lib. ij. Solutioni adde Spir. Baccar. Juniper. ℥ij. Sp. nit. dulc. ℥β.

(72) TISSOT *Mediciniches Praktiſches Handbuch*, *T.* II. *p.* 332.

(73) E C. ℞. Rad. Squill. gr. I. Rad. Singiber. gr. ij, Nit. pur. arcan. duplic. ana gr. x. miſce fiat pulv. pro doſi.

catur (74); pluribus etiam aliis modis propinari poteſt: quum vero Vinum Scilliticum praescribatur, ſumma opus eſt cautione, quippe quod multas anxietates ac vomitus adferre ſoleat; Oxymel autem, inde praeparatum, eſt remedium, quo careri non poteſt; Aceti ſcillitici 20–50. guttae optimos producunt effectus, qui haud mediocriter augentur, ſi partes aequales Sp. Nitr. Dulc. iis admisceantur; pillulis ex ſcilla confectis optime commiscentur extracta amara; denique Tinct. ſcillae juxta methodum OBERTEUFFERIANAM praeparatae uſus eſt praeſtantiſſimus.

℞. Rad. ſcill. ℥iß.
Spir. Sal. Dulc.
Spir. Junip. ana lib. ß.
F. s. a. Tinct.

Colchicum a STORCKIO commendatum eſt efficaciſſimum atque divinum remedium; unum granum Radicis ſiccatae nitro, vel alio ſale mix-

(74) RUSSEL *De tabe Glandulari*, p. 68.

mixtum optimi eſt uſus, ſed ſcillae efficacia tamen praevalet.

Digitalis Purpurea eſt vehemens, ſtimulans atque efficax duireticum, quod magna cum prudentia eſt adhibendum, quippe ſtomachum, inteſtina ac nervos maxime afficit, quotiescunque irritabilitas adſit, atque a ſtimulantibus abſtinendum ſit remediis, hoc medicamentum exhibere non licet; herba vel in pulverem redacta, vel infuſo mixta propinatur, vulgo aromaticum quid adjungitur, nauſeae vomitusque evitandi cauſa; ab uno ad quatuor grana incipitur & ſic porro proceditur, (75) recentium major quam ſiccatorum foliorum quantitas adhiberi poteſt, ex recentium ℥ij. colatura ℥ix. confici poteſt, ex ſiccatorum ʒj. colatura ℥viij. Addit. Spir. Junip. ℥j. Syr. Cort. aurant. ℥ij.

Radix Senega ſuperiori quidem cedit efficacia,

(75) E. C. ℞. Pulv. Herb. Digit. gr. j. Pulv. Rad. Singib. gr. viij. Sacch. alb. ℈j. m. f. Pulv. p. doſi.

cia, ſed tamen multum valet ad urinae ſudoriſque excretionem juvandam, interdum nauſeam, vomitum, alvumque fluidam creat; ea in pulverem redacta a granis xii usque ad xv cum Saccharo, nitro vel camphora mixtum vel in decocto, quod longe praeſtat, propinatur.

Cantharides notiſſimum eſt acerrimum ſuppeditare diureticum, quod facillime Syſt. uroepoet. inflammationem mictumque cruentum poſſit proferre, unde non niſi in ſumma adhibendum eſt neceſſitate, quum ſcilicet ſingularis viarum urinariarum atonia adſit; ſic etiam Tinct. cum Camphora adhibetur, vel emulſione exhibentur ſecundum formulam, ab HUFELANDO praeſcriptam hoc modo:

℞. Cantharid. ʒβ
Amygd. Dulc. ℥j,
Sacch. Alb. ℥β.
In mort. lapid. probe conterantur & lenta aquae calidae effuſſione fit emulſio.
Sig. ſingulis tribus horis unum Cochl.

Saepius quoque fuit obſervatum, interna ali-

quot

quot diuretica ad externas corporis partes applicata urinam optime excreviſſe, inter alia efficaciam talem vulgari ineſſe allio jam ſupra annotavimus, quae medendi ratio jam ab antiquis innotuiſſe videtur temporibus, quum CELSUS (76) ſcillae uſum jam ſuadeat his verbis, „ utiliter „ etiam ſcilla cocta deligatur ſuper cutim " ac porro moneat „ quod ſi valens (ſem. lact. mar.) „ ei ſcilla cocta ſimul per ventrem deligatur " eandem vim habent quoque BALSAMA veluti Copaiva, Terebinthina &c. alia corpori extrinſecus applicata; E. C.

℞ Ol. Therebint. ℥vj.
Vitell. Ovor. N°. 1.
Aq. Deſtill. Q. S. ut fiat Linim.
Sig. Regioni lumbari infricandum.

Nonnunquam diuretica ſeparatim adhibita ſucceſſum indicationi denegant, atque alios omnino effectus producunt, ſed aliis remediis mixta rite operantur, ſic Opium Digitali Purpureae im-

(76) *L.* III. *C.* 21. *p.* 174. *l. l.*

immixtum optima urinam excernendi facultate eſſe inſtructum apparet, dum haec ſeorſim data non niſi cadialgiam, anxiectates, delirium &c. excitant (77) quod ad Opii uſum attinet, amplectimur MEADII ſententiam; dicentis „ Inuſitatum fortaſſe videbitur, imo & periculoſum „ remedia, quae ad ſomnum apta ſunt, in hoc „ morbo adhibere; at illa tamen interdum eum „ uſum praeſtant, ut etiam urinae moventibus „ accenſenda ſint, ubi enim magnus dolor premit, profuſionem ejus haud raro incitant, „ non ob aliam, ut opinor, cauſam, quam quod „ fibras ductuum renalium relaxant, quas cru- „ ciatus ſemper conſtringit. "

Denique diligenter eſt animadvertendum, omnia commemorata duiretica, quamtumvis praeſtantiſſima, maximo cum diſcrimine eſſe adhibenda, & in certis caſibus alterum alteri longe eſſe praeponendum, quum enim vires ſint debilitatae, febres, obdurationes, graviditas locum ha-

(77) HUFELAND *l. l. Obſerv.* V. *B. S. p.* 683.

habeant, vel interdum natura ipſa viam felici ejectioni aperiat, efficaciora inprimis vel omnino evitanda ſunt, vel magna cum cautione adhibenda; a leviſſimis ſemper hoc caſu incipiendum eſt diureticis, & ad vehementiora adſcendendum, praecipue in hujus morbi principio, quum ſolidae partes infirmitati nondum ſunt obnoxia, ac vaſa reſorbentia ſuo adhuc fungantur officio.

Ad 2^{dum}.

Neminem profecto latet, cutem humani corporis praeſtantiſſimum ac maximi momenti eſſe organum, per quod corpora aëriformia humorque quidam, ſudor nominatus, in ſana conſtitutione ejicitur, atque per naturam corpus ſtimulantes & nonnaturales res veluti miasmata & acrimoniae in male affecta conſtitutione depelluntur.

Quum autem cauſas Hydropis inveſtigantes oſtendimus, ſuppreſſione atque exſtinctione hujus organi functionum, humoris accumulationem poſſe produci, non licet heic praeterire, qualis

lis ratio hujus accumulationis curandae, pluribus exemplis nobis a natura ſit demonſtrata, nempe larga ſudatio, quae Hydropi reſiſtens aegrotum hoc morbo benigne liberat.

Non mirum igitur, quod Medici jam ab antiquis inde temporibus naturam in hac operatione imitari fuerint conati & per remedia ſudori excernendo inſervientia hunc morbum ſanare ſtuducrint: feliciter res humanae forent comparatae, ſi in omnibus caſibus hujusmodi remedia voto conſilioque reſponderent, quippe diaphoretica longe minus, quam alia corpori nocent medicamenta.

Verum enim vero maxime eſt dolendum, Hydropicorum cutem tam raro ad ſudorem expellendum eſſe proclivem, ut aliquando nullo remedio excerni poſſit, quemadmodum A. CAPADOX jam monuit: „ affectum tutius ſolvit „ ſudor, ſi is copioſe effundatur, nam in Hy„ dropicis non ita multum humescit cutis. "

Diaphoreticis uti temerarium atque inconſul.

ſultum ſaepius eſt judicandum, quum ipſa natura, cujus miniſtri, non vero praeſides ſunt Medici, alias humores accumulatos expellendi vias ſibi quaerere curaverit; tum enim naturae benignitati ac poteſtati reſiſteretur ac morbus ingraveſceret.

Si ipſa natura ſudoris excernendi propenſionem conciliet, ad eam juvandam in promptu ſunt remedia, tam interna quam externa, ad uſum internum pertinent Aperientia, Calefacientia, Antimonialia; plurimum etiam proſunt ſalia alcalina cum acidis mixta; inprimis eſt laudandus pulvis DOWERI, ut pote ſudori excutiendo utiliſſimus ac maxime idoneus.

Quum vaſa cutanea quodammodo ſtimulantur, ipſorum actio augetur tam copioſa exhalatione, quam valida humoris reſorbtione, quamobrem ad ſudorem expellendum multum conducunt fricationes, balnea & ſpiritus vini accenſi vapores; quibus remediis jam uſos eſſe

veteres Medicos patet ex CELSO, qui docet, (78) „ multum ambulandum, currendum, aliquando „ & ſuperiores maxime partes ſic perfricandae, „ ut calorem in cutem evocet," atque addit; „ evocandus eſt ſudor, non per exercitationem „ tantum ſed etiam in arena calida vel laconico „ vel clibana & ſimilibus aliis (79)."

Si quis itaque multum utilitatis ex hac Hydropis cura conſequi cupiat, eam mature abhibeat atque inſtituat, neceſſe eſt, quum natura ad ſudandum ſit prona, ſi enim cavitas humore repleta nimis jam intumuerit, vaſa reſorbentia officium praeſtare plane recuſant; ſin ſudoris excretioni deſit natura, ad ſtagnantem liquorem expellendum minus operantur diaphoretica, quamquam ex corpore tamen eos humores excutiant, qui per vaſa fluunt ac vitae ſervandae inſervіunt.

Ad 3tium.

Efficaciſſimis Hydropiſis curandae remediis ad-

(78) *l. l. p.* 171.

(79) HIPP. *Lib.* V. *Text* 41.

adnumeranda ſunt Emetica; verum in hoc morbo longe alio conſilio porriguntur, quam in ceteris malis corporis affectionibus, non enim heic exhibentur ad materiam peccantem ex ventriculo evacuandam, ſed ad adjuvandam humorum praeter naturam accumulatorum reſorbtionem, ac deinde eos per ſecretiones excretionisque vias ex corpore removendos: Ut autem vomitoriorum operatio in hoc morbo intelligatur, ad phaenomena duntaxat attentio eſt adhibenda, quae cum eo motu periſtaltico plane inverſo vulgo ſunt conjuncta: Emetico ventriculus praeter conſuetudinem irritatur; oritur reaction, hoc eſt, extraordinaria viſcerum ac duodeni contractio locum habet; unde ſeri atque lymphae copia & impetus in hisce viſceribus magis magisque urgentur, glandulae oeſophagi, faucium & oris non minus eo irritantur, quo humores ſuos majori copia excernunt; ſpasmus totius corporis haud continuus, praecipue integumentorum communium oritur, quibus

accedit tremor, inprimis labii inferioris, frigus, atque aquoſus meatus urinarius.

Poſt hos prodomos ex impreſſionibus, quae praeter naturam in nervis gaſtricis, cum partibus jam memoratis conſenſu junctis, locum habent, oriundos, ſcena mutatur; motus periſtalticus ventriculi ſurſum dirigitur, naſcitur quidam corporis ſtatus haud facile conſcribendus; muſculi ſubito commoventur omnes, qui motus non immerito cum vehementibus comparandi ſunt convulſionibus; abdominis muſculi tum maxime agitantur, quum, tanquam diaphragmatis adverſarii, functionem illius ſuperant, unde materiarum in ſtomacho contentarum fit excretio.

Hisce motibus itaque ac conquaſſationibus vaſa reſorbentia magis officium praeſtant, eorum functio augetur; exiguae obſtructiones inde ſolvuntur, ſpaſmus in vaſis cutaneis vincitur, & cutis rore quodam perfunditur, quem ſudor, (durante vomitu jam in vultu percipiendus,) per totum ſequitur corpus, denique hinc naſci-

ſcitur urinae, aliquando etiam excrementorum dejectio.

Obſervavit quoque SYDENHAMUS, vomitum ceſſantem excipi ab alvi ductione, quae humores conquaſſationibus inter vomendum reſorbtos ejiciat, eosque, ſi emeticum repetatur, tam per alvum, quam per gulam ſecerni.

Inter emetica Crocum Metallorum maxime prodeſſe ſe expertum teſtatur, SYDENHAMUS; omnia emetica huic conſilio inſervientia heic commemorare non eſt neceſſe; Antimonialia generaliter uſu ſunt praeſtantiſſima, ſed magna cum cautione adhibenda, quemadmodum etiam Cuprum Antimonii, quamobrem optime Opio immiscentur, ne vis, qua gaudent, noceat corporibus.

Emetica inprimis in Hydropiſis initio tantum utilitatis adferre, ut vix nullus caſus detur, quin in hujus morbi magno cum fructu propinentur, experientia docti teſtantur Medici; quippe aliis humores ſolventibus atque excer-

nentibus viam ita aperiunt, ut, quum vel efficaciſſima medicamenta antea nihil valerent, iisdem remediis, optimam operandi facultatem praeberent, quoniam ob vaſorum reſorbentium atoniam atque inertiam, per emeticorum vim ad felicem ſucceſſum producendum irritantur magisque impelluntur.

Nihilominus emetica ſumma cum prudentia ac cautione ſunt adhibenda, quippe quae ob inſitam vim, qua inſtructa ſunt, aliquando noxia non ſolum, ſed & periculoſiſſima evadere poſſint, adeo ut vel remota ac prohibita fuerint in obſtructionibus inveteratis, viſcerumque obdurationibus, vel quum morbi diuturnitate corpus jam ita ſit debilitatum, ut conquaſſationes tales ſuſtinere nequeat; excretique humores acrimoniam ſibi contraxerint, occultae viſcerum inflammationes ſint mutuendae, atque inprimis, quum hecticae febris periculum immineat.

Ad 4tum.

Ubi praeter naturam humores accumulantur, pur-

purgantia optimos ac praeſtantiſſimos habere effectus jam ab antiquiſſimis temporibus docuit experientia, quoniam ea remedia valent ad inteſtina irritanda, & efficiendum, ut motus periſtalticus augeatur & exaltetur, per hunc auctum motum periſtalticum exhalatio vaſorum exhalantium inteſtinorum augeſcat, unde major humorum affluxus oritur, qui par alvum ejiciuntur. Eodem tempore vaſa reſorbentia aliarum partium etiam irritantur & ad validiorem incitantur reſorbtionem; per exhalationem itaque ac reſorbtionem in inteſtinis auctam accumulatio, quae praeter naturam locum habet, imminuitur, & illius naturalis tonus reſtituitur, atque ita morbus conſequitur finem; obſervandum quoque eſt nonnullorum purgantium ope magnam humorum partem per urethram etiam poſſe excerni.

Laxantia eccoprotica certo quodam ſenſu in hoc morbo non videntur ſatis apta ad eos, quos deſideramus, effectus producendos, nam inteſtina, aeque ac aliae partes, hoc morbo debilitata hiſce

le-

lenibus nec obediunt, nec reſpondent remediis; efficaciora igitur adhibere cogimur, quae atona inteſtina, ad validiorem contractionem invitare valeant; & hujus voti aliquando compotes evadimus per ea purgantia, quae ſub Draſticorum nomine ſunt cognita.

Quum haec Draſtica adhibeantur, magna cum cautione ſunt porrigenda, & tunc ſolummodo in hujus morbi initio, neque magna eorum medicamentorum quantitas ſimul eſt ſumenda, ob vehementem, quam in interiore inteſtinorum parte excitant, irritationem, praeterea quia quid ſinguli aegroti ferre ac pati poſſint, plerumque non ſatis conſtet.

Quum autem haec remedia ſimul vim vitalem arripiant, libenter commiscentur cum analepticis medicamentis, ac potius in ſuccis, quam ſub forma pillularum, vel alio pacto praeparata propinari malunt, quoniam enim nonnumquam fit, ut viae ſint ſiccae atque aridae, minus, ſi ſicca haec adhiberentur remedia, ſolverent, adeo-

que

que minorem producerent effectum, E. C. Jalappa, quae in hoc morbo ad ʒβ & reſina, quae ad gr. x. praeſcribi poſſunt, in liquore, tanquam emulſio, propinari poſſunt hoc modo:

℞ Reſin. Jalappae gr. vj. ad x.
Amygd. Dulc. Excort. N°. vj. ad x.
Fiat terendo cum aq. foenic. ℥β. emulſio, cui adde,
Sacchari alb. ʒij.
M.

Sic etiam Gummi gutta porrigi poteſt in guttis E. C.

℞. Gum. Gutt. ʒβ.
Solve in
Ol. Tart. p. Deliq. ℥β.
S. bis vel ter de die 30 Gutt.

Celeberrimus SELLIUS egregios *Janinicarum* pillularum effectus laudat, quamvis medicamentum eſt quam maxime compoſitum; haud minore commendatione dignae ſunt pillulae Hy-

dragogae BACCHERI (80) ob optimos, qui inde producuntur; effectus.

Si quis autem per haec Draſtica remedia morbum rite ſanare cupiat, multi auctores monent, ea non per intervalla, eſſe adhibenda, ſed iis aſſiduo eſſe utendum, donec humores omnino fuerint ejecti, excepto ſi periculum inde immineat & aegroti vires id non patiantur; vel ipſe SYDENHAMUS, qui multum utilitatis per purgantia Hydropicis attulit, de veritate hujus ſententiae per experientiam edoctus id praecipit his verbis (81): „ etenim, ſi non „ niſi poſt longa intervalla repetatur purgatio, „ quantumlibet copioſa catharſis praeceſſerit, „ aquis denuo colligendis anſam praebemus, „ &

(80) *Pill. Hyd. Baccheri.*

℞. Ext. Helleb. nig. — myrrh. ſolut. ana ℥j — Herb. card. bened. ℈x M. F. maſſa aëre ſicco exſiccanda, donec formandis pillulis apta ſit; ſingula ad gr. j., ſingulis tribus horis pill. 6, 7, vel 8.

(81) *Tract. de Hydrope p.* 613—14.

„ & ex hac induciarum occaſione, quaſi victo„ ria jam parta uti neſcientes, tandem loco „ pulſi, re infecta turpiter fugabimur.“

Attamen regula vulgaris ex ſupra dictis non eſt conficienda, nempe ſemper Elateria eſſe adhibenda; leniter enim purgantia remedia ſufficiunt, ac pares producunt effectus; Rheum enim, ut teſtatur TISSOTIUS (82) in Hydropiſi plurimum valuit, quae cum diarrhoea ac corporis debilitate concomitata fuit; ſic etiam maxime prodeſt Cremor Tartari, quemadmodum patet ex HAANII teſtimonio, qui Hydropiſin Cremoris Tartari ℥j, ſoluti in ℥xxx aquae frigidae, & quotidie inde ℥ij per tres continuas ſeptimanas propinandis ita curaſſe affirmat, ut de 20 Asctiicis 13 & ex 7, qui Anaſarca laborarent, 5 ſervaverit, iisque ſanitatem reſtituerit.

Quamquam autem purgantia aliquot etiam uri-

---

(82) *l. l. p.* 330.

urinam excernere obſervatum fuerit, nondum tamen ejusmodi exonerantia ſunt reperta medicamenta, quae ſudorem, urinam ac coprophorian ſimul depellant; quod enim de Polygala Virginiana vel Senega (83) memoratur, vix invenias, nempe hujus radicis ℥j, coctae in pinta aquae, usque ad dimidiam partem, ac ſingulas horas trium cochleariorum quantitate propinatae, hominem, qui Aſcite, Anaſarca, ac febri ſimul laborabat, in priſtinam valetudinem fuiſſe reſtitutum, &, quamvis ſplen admodum extenſus atque obduratus eſſet, tumorem Hydropicum imminutum, febrimque fugatam.

Quemadmodum plura alia remedia, ita & purgantia in hoc morbo prohibentur, nempe quum ſymptomatica diarrhoea, quae aegrotum debilitat, locum habeat, vel quum inteſtina nimis ſint imbecilla, vel vitium quoddam in visceribus dominetur; vel quum haec ſint ſchirrho-

(83) *Memoires de l'Acad. des Sciences*, *l'A.* 1744. *p.* 55.

rhoſa, viriumque nimia diminutio, vel etiam inflammatio adſit, quum morbus fuerit diuturnus, uno verbo, in adhibendis purgantibus ſumma opus eſt cautione, ac remedia ad temperamentum, vires & aetatem aegroti ſunt accommodanda, ac porro omnium circumſtantiarum diligens habenda eſt ratio; ex pluribus enim caſibus purgantia aegroto per totam vitam nocuiſſe, & ſaepius vel robustisſima corpora eorum irritabilitate, quamquam inde medicamentum quaereretur, corrupta ac debilitata eſſe, vel in alios morbos incidiſſe conſtat.

Ad 5^{tum}.

In nonnullis caſibus, mox commemorandis, accumulati humores per vias artificiales depelluntur, quod nemini mirum videatur, qui vel ipſam naturam aliquando in humorum cutaneorum accumulationibus ejusmodi vias ſibi aperuiſſe, ac plerumque hunc morbum feliciter hoc modó ad finem deduxiſſe, experientiâ didicerit.

Quamquam talia exempla raro ſint obvia,

 non-

nonnunquam tamn in cute femorum & crurum, tumore inflatorum, disruptio locum habet, ac per inviſibiles fiſſuras, immo interdum per poros tam magna humorum copia erumpit, ut tumor plane evanescat, aliquando cutem inter & cuticulam humores penetrant, qui in bullas turgescunt, &, quum illae rumpuntur, continuum producitur ſtillicidium, cum eodem felici ſucceſſu conjunctum.

Quum vero illae ab ipſa Natura benigne ſuppeditae medendi rationes deficiant, ad artificiales modos eſt confugiendum, atque liberum humoribus exitum praebendi cauſa, adhibendae ſunt Externae Inciſiones, Fonticuli, Setacea, Veſicatoria, Pediluvia; verum omnia haec arte excogitata remedia, quum liquor in magnis cavitatibus, E. C. Ventre, Pectore, Scroto &c haereat, nequaquam poſſunt applicari, nec inde certus, ac facilis humorum exitus eſt exſpectandus, niſi quum lympha in corporum cellulosa colligatur.

In-

Inciſiones ad naturae imitationem atque exemplum inventae inſtituuntur, ut liquor in celluloſa retentus depellatur, quod ſit, quum inciſio ita cuti immittatur, ut in celluloſam penetret; huic methodo merita non ſunt deneganda, ut pote liquoris copiae haud mediocris expellendae optime inſervienti; COCHIUS hujus remedii experimentum in ſuo ipſius corpore tanto cum ſucceſſu cepit, ut vel quatuor aquae libras inde exhauſerit; hanc medendi rationem jam probavit ipſe CELSUS (84), „ Incidendum, inquit, quoque ſuper talum qua„ tuor fere digitis ex parte interiore eſt, quo „ per aliquot dies frequens humor feratur." — HIPPOCRATES (85) Hydropicum juvenem curaturus liquore inflatas partes cultello aperiri juſſit, ac ſimul monuit, hoc caſu balneis eſſe utendum, atque partem apertam calidis & emollientibus remediis eſſe obliniendam, ne vulnerum

(84) *l. l.* 3. *C.* 21. *p.* 174.

(85) *De locis in homine*, *C.* 9.

rum labia a gangrena corripiantur; ſed hoc minus metuendum exiſtimo, quum Inciſiones mature applicentur; tum enim aqua nondum tamdiu ſtagnavit, ut acrimoniam conciliari, ſuaque irritatione inflammationem, ejusque ſequelas producere potuerit.

Requiritur etiam, ut vulnera in ſtatu recenti retineantur, cui optime inſervire videtur remedium LENTINI, qui ſe illud magno cum ſucceſſu tentaſſe affirmat, atque hoc pacto praeparatum inſtituit: Utitur nempe duabus tertiis partibus e ſucco Sempervivi Majoris, mixto tertia parte Succi Citri, & aliquot granis Boracis, idque medicamentum recenti vulneri imponit: ne autem partes, vulnera proxime circumdantes, ab humoris effluentis acritate corrodantur, aliam adhuc ingreditur viam; per expulſivas deligationes, vel ad ſuperiores partes inſtitutas fricationes prius humorem excernit, crurumque poſitionem ita immutari jubet, ut humor, nec eadem via, nec in easdam partes perpetuo fluere poſ-

ſit

ſit, adeoque ut ſatis temporis ſuperſit, quo remediis, cuti ſervandae inſervientibus, libere ac tranquille operandi facultas praebeatur, praecipit unguentum de uvis, quod cutem diutiſſime conſervat; contra vero MEADIUS (86) cruribus involucrum, ex herbis emollientibus, ſpiritu vini Camphorati commixtis, confectum, imponendum praeſcribit, ſed remedium LENTINIANUM praeferri meretur propter minorem, quam requirit, laborem, atque moleſtiam.

Aliud artificioſum longe facilius minoremque aegroto afferens dolorem eſt Scarificatio, qua varia exigua cuti inflictantur vulnera, per quae liquor facile erumpere posſit; HIPPOCRATES hoc remedium jam commendat (87) „ quod ſi in ſcroto & femoribus ac tibiis tu„ mor conſtiterit, peracuto ſcapello multis
„ [illegible] „ &

(86) *Mon. & Pract. p.* 80. BURSERIUS *Inſtit. Med. Praet. Vol.* IV. *p.* 174.

(87) *De internis affectionibus*, C, 23.

„ & crebris vulnuſculis Scarificato, haec ſi „ feceris cito ſanum efficies.“

Et ſane ſine ullo periculo haec ſcarificatio poteſt inſtitui, cum inflata cutis a vaſis ſubjectis & muſculis longe ſatis ſeparata ſit; in hoc remedio adhibendo utitur LENTINUS quadam praecautione, quae nequaquam eſt rejicienda; Scarificatoris ope ſuras prius vulnerat, & labium inferius horum vulnuſculorum deinde unguentum de uvis illini curat, ne aqua, inde effluens cutem corripiat, praeterea ſcarificatas partes ſolutione Boracis inungi curat, quum claudi incipiant, & ſane haec certiſſima videtur eſſe ratio, qua haec cura ſit perficienda.

Per Fonticulos & Setacea iidem effectus poſſunt produci, & RHASES maxime ſibi inde pollicebatur; ſed ea remedia non videntur commendanda, quum enim Fonticulis ſemper alienum corpus immitti debeat, periculum ſemper adeſt, ne inde irritatio oriatur [ac partes ambientes inflammentur; quoniam autem haec di-

li-

ligenter evitandae ſint ob malos effectus, patet non temere iſtos fonticulos improbari, quod etiam verum eſt in Setaceis, quippe idem periculum idemque malus effectus imminent a filo relicto, unde eadem irritatio naſcitur, inprimis, ſi quotidie, quemadmodum fieri ſolet, filum huc illuc trahatur atque immutetur.

Quoniam Cantharides cuticulam ſublevando veſiculas producunt, qui aqua ſunt repleti, &, quum ſint inciſi, deſtillant, donec omnis liquor ſit depulſus, ſanequam illa veſicatoria ſunt laudanda; verum potius a remediis irritantibus eſt abſtinendum, quum enim humores ſponte vel jam acres ſint vel adhuc acrimoniam contrahant, facile inflammatio oriri poteſt; longe itaque praeferendae ſunt Inciſiones quamquam vel ipſae omnis periculi in corpore cachectico haud ſint immunes: verum tamen diligentem dexterrimi Chirurgi curam in hoc caſu requiritur; unde facile eſt intellectu, multo minus utilia eſſe irritantia, quamobrem omnia Rubefacientia

& Veſicatoria, ut ſquilla vel cortex meſeraei &c. certo ſenſu potius ſunt vitanda quam adhibenda.

Per radicis Bryoniae, in partes conſciſſae, parum calefactae & cruribus impoſitae applicationem & uſum, ut teſtatur TISSOT (88) intra proxime ſequentium 12 horarum ſpatium vulgo nihil aquae deſtillabit, ſed poſt alteras 12 horas ac deinceps donec crura ſtillare incipiant, magna humorum copia ejicitur hujus autem radicis acrimoniam idem affirmat auctor, multo leniorem eſſe, quam cantharidum acritudinem, adeoque vaſa inde multo levius irritari, verum hoc remedium non eſſe generale vel hinc apparet, quod in nonnullis rite operetur, in aliis vero nullum omnino effectum producat.

Pediluviorum in hydropiſi utilitatem & experientia & Medici nos docuerunt, praecipue LIEBERKUHNIUS, qui per hoc remedium humores in

(88) *l. l. T.* II. *p.* 343.

in celluloſam pulmonis ejectos ad pedes deduxit, hoc ex vi ac poteſtate conſenſus, qui inter totius corporis celluloſam intercedit, quamobrem; ſi in partibus inferioribus vel alio quodam pacto excretioni via aperiatur, omnem ſub celluloſa collectam aquam expelli, quin immo liquorem in majoribus cavitatibus haerentem aliquando excerni, nequaquam eſt mirandum.

Ad 6^{tum}.

Tandem ad ultimum, quo accumulati humores emittantur, transgredimur remedium; quando enim plura medicamenta fruſtra ſint adhibita, atque nihilominus humores magnis cavitatibus incluſi maneant, conſtituitur per inſtrumentum vel Abdominis vel Thoracis vel Scroti perforatio, quae humoribus libera exeundi facultas ſuppeditatur, quemadmodum CELSUS rite ac vere animadvertit. „ ſi per talia auxilia venter non ſiccatur, ſed humor nihilominus abundat, celeriori via ſuccurere ut is per ventrem ipſum emittatur; “ Haec operatio, Parancen-

theſis nomine inſignita ab his laudatur, ab illis culpatur, in poſteriorem numero eſt SYDENHAMUS (89) „ qui neque aut feliciori, inquit, cum „ eventu, aut minore diſcrimine adminiſtrantur, „ me judice, ſive paracentheſis ſive acupuncturae, a nonnullis celebratae, quam Veſicatoria. “ At vero vel inter ipſos, qui hanc operationem commendant, de illa non ſatis convenit; alii enim mature eam eſſe edhibendam exiſtimant, alii vero eam in longum tempus eſſe differendam ſtatuunt; ex omnibus, quae in utramque partem proponuntur, ſententiis, eorum mihi placet opinio, qui hoc remedium ſine mora inſtituendam putent, quum viſcera adhuc ſunt ſana atque integra, nec diuturnitate morbi correpta, quoniam humores tum etiam nondum ſunt depravati; hac operatione quoque mature inſtituta, obſervatum atque cognitum fuit, Hydragoga remedia meliorem habuiſſe effectum,

ac

(89) *l. l. p.* 635.

ac reſorbtionem melius ſucceſſiſſe; Hanc ſubito Paracentheſin inſtituendi rationem etiam alii commendârunt Medici, quemadmodum docet C. AURELIANUS (90) „ omnes enim paracen„ theſi curatos, ut ajunt, mori, apertiſſime „ mentiuntur, nos enim quosdam vidimus „ evaſiſſe: plurimi vero moriuntur, ſi qui„ dem medicorum tardante conſilio ſerius para„ centheſis adhibetur. "

Ejusmodi ſalutarem nec ullis intervenientibus remediis effectam humorum emiſſionem operatur nonnunquam ac praeſtat ipſa natura per diſruptionem, unde aqua effluat, quemadmodum MEADIUS & SCHENKIUS commemorant (91) de Hydropico, cujus abdomen, quamquam omnibus eſſet deſertus viribus, tantam ſubiret ruptionem ut inde duodecim liquoris librae eodem tempore effluerent, & poſtero die iterum aliae

6

(90) *De Morbis & chronicis.* L III. C. 8. *p.* 478.
(91) MEAD, *Mon. & pract. p.* 152.

6 librae erumperent, quod ita ex voto cecidit, ut aegrotus, adhibitis aliquot remediis, tandem plane convaluerit.

Quum vero haec operatio certo ſenſu magis pertinet ad Hydropiſis ſpecies E. C. Aſcitem, Hydrothoracem &c. ubi de Hydropis ſede ceteriſque, quae heic ſpectant, negotus agitur, breviter heic concludemus.

1°.) Reſpiciendum eſt ſemper, ſi paracentheſis felicem habitura ſit ſucceſſum, atque diligenter attendendum ad corporis aegroti vires, quae ſi debilitatae ſint, ab eo omnino eſt abſtinendum, ſin autem hanc operationem ſuſtinere valeant, ea quam primum eſt inſtituenda.

2°.) Viſcerum conditio ſit norma oportet, ad quam operatio ſit dirigenda, ſi viſcera jam ſint corrupta, ab operatione eſt temperandum, quamvis aliquando hoc caſu tamen adhibeatur, ut ſymptomata mitigentur.

3^{tio}. Morbi cauſa, diuturnitate atque effectibus perſpectis, apparebit ac praedici poterit, utrum

utrum haec operatio ſanitatem ſit reddítura, an vero duntaxat levamini ſit inſervitura.

4to. Denique plus ſemel inſtauranda eſt, ſi humores iterum augeantur atque tumores efficiant.

Hoc pacto itaque ſive internis ſive, externis remediis ſatisfit ſecundae indicationi, atque ita accumulati humores emittuntur; ac quamvis quotidie appareat, cauſas hujus morbi tam obſcuras eſſe, ut vix investigari poſſint, his medicamentis in cura palliativa utendum videtur, ut quam longiſſime aegroti vita extendatur, ejusque dolores mitigentur.

Ad 3am. Indicat.

Humoribus evacuatis, adhuc ſupereſt, ut affectae partes iterum corroborentur, & cautio adhibeatur, ne morbus integreſcat; hoc voto potiundi cauſa adhibentur remedia Roborantia, Adſtringentia, Tonica, quae requiruntur, ubi corporis vires nimis ſunt debilitatae, ut iis amiſſus reſtituatur tonus, Complures Medici

N ſum-

ſummum pretium ſtatuunt uſui Martis, ſive ſeparatim dati, ſive aromaticis aliisve remediis commixti, quae adſtringentem vim poſſident; E. C. Cort. Peruv.; verum animadvertendum eſt, in adſtringentibus ac roborantibus adhibendis magna opus eſſe cautione, praecipue ſi in priſtinam valetudinem aegrotus non plane ſit reſtitutus; Utiliora enim adſunt medicamenta, E. C. Gentiana, Cent. Min. aliaque amara, non adſtringentia, propinata; quum vero haec aliquamdiu adhibita fuerint, tutius ac liberius ad corroborantia atque adſtringentia procedendi praebetur facultas, atque hoc pacto vires corroborandi gratia varia Vinorum genera propinari poſſunt, E. C. Abſinthites, Rhenanum aliaque; item Aqua frigida; a nimio calore, calidis potionibus, longa in humidis locis mora, immoderato corporis motu, curſu, ſaltationibus aliisque ejusmodi rebus omnino eſt temperandum; ad partes corroborandas etiam commendatu ſunt digniſſimae faſciationes, quibus partes,

quum

quum humores ſunt expulſi, ſunt involvendae, quaeque Benſoin, Olibani, Maſtiches, Baccarum Juniperi, aliorumque aromaticorum ſuffiri ac calefieri ſolent vaporibus.

CAPUT OCTAVUM.

De Diaeta Generali in totius morbi curſu.

Si rem rite perpendimus, non in ſola poteſtate medicamentorum morbum Hydropicum ſanandi vis ſita eſt, ſed multum etiam dependet a diaeta aegroti, quae qualis eſſe debeat pro ratione corporis conſtitutionis, aetatis, vivendi rationis atque effectuum, diligentiſſime eſt attendum; aegroto itaque videtur ſine metu praeſcribenda diaeta haec.

1°. Aër, in quo ipſi morandum ſit, humore careat, ſitque purus ac ſolis radiis illuſtratus & calefactus.

2°. Corporis motus ſit mediocris, ſive aegrotus

pedibus incedat, ſive equo curruve vehatur.

3^{io}. Somnus more ſolito minus diuturnus; hic enim in nimium longitudinem protractus nimio motui eſt contrarius.

4to. Alimenta, quibus ipſi utendum ſit, ſint corroborantia, ſicca, eupepta, euchyma; allium panisque biſcoctus optimo jure commendantur.

5°. Moleſta ac triſtia animi pathemata quam maxime ſunt evitanda, quippe quae circulationem, ſecretiones, excretionesque ſummopere impediunt atque retardant.

6°. Sitis, qua Hydropici admodum cruciantur, eſt ſedanda, quamquam inter doctos non conveniat, utrum multum, an parum potus ſit propinandum; qui multum bibendum praebent, allegant exempla eorum, qui inde in priſtinam valetudinem ſunt reſtituti, adeoque largos hauſtus concedunt aegrotis, qui conſtitutione phlegmatica non laborant; qui contrariam amplectuntur ſententiam, id agendum eſſe contendunt, ut bibendi cupiditati reſiſtatur,

tur, eaque vincatur adhibendis remediis, E. C. ore fovendo Tamarindi fructibus, vel aqua frigida vitrioli ſpiritu mixta; (92) verum mediocritas mihi heic optima videtur; in initio ſitientibus quidem indulgeri, atque ad bibendi ardorem exſtinguendum tuto adhiberi poteſt vinum, aquis mineralibus commixtum, quippe quae magnam aeris fixi copiam in ſe contineant, & inde multum urinae reddatur; quum vero morbus ſit inveteratus, vel calidis medicamentis ac ſudore hunc morbum ſanandi cupiditas Medicum inceſſerit, potionum uſus quam plurimum eſt imminuendus; ac contra nimiam ſitis irritationem propinandum eſt decoctum ex aqua hordei, ſucco citreo & cremore tartari mixta; verum haec cura potius Medico videtur committenda, quem in medicamentis ad circumſtantias dirigendis oportet eſſe expertiſſimum.

De-

(92) SYDENHAM *l. l.* p. 632—33.

Denique quum Hydropici frigore ac marmorea duritie crurum laborant (93), quorum partes ſuperiores matutino tempore molliores lenioresque apparent, adeo ut impreſſiones patiantur, remedium LENTINI omni commendatione digniſſimum videtur, (94) qui crurum partes molliores atque inferiores pannis laneis, infuſo florum Sambuci, Arnica, & Alcali volatili humefactis, lanvandas praeſcribit, donec emolleſcant; ut autem humores magis attenuentur, vaſa reſorbentia irritentur atque ad officium ſuum praeſtandum impellantur, bis ſingulis diebus crura Tinctura Saponariae, ſpiritu ſalis ammoniaci, ſpiritu formicarum, (adhiberi etiam poteſt linimentum volatile,) lavanda curat, ſi vero ſenſibilitate deſtituuntur, eum in finem utitur Tinctura cantharidum, atque eam ſurae partibus mollioribus imponi jubet; poſtea interna demum medicamenta

(93) Hoc ſaepiſſime oritur ex copioſis ſanguinis ejectionibus.

(94) *l. l. T.* II. *p.* 39.

ta, quae morbi ſtatus requirit, aegroto propinet, qui & ipſe, quantum poteſt, curare debet, ne crura frigeſcant, quantumvis eorum calorem vel tueri, vel inſtaurare ſit moleſtiſſimum.

Ecce L. B. quae de Hydropiſi ſcribere decreveram, ab aetate provectiore expectes emendata, quae nunc ſunt tenuia ac juveniliter dicta, atque in magnis voluiſſe, ſuffecerit.

THE-

THESES.

I.

Erectiones quarundam corporis animalis partium a propria vi vitali, quæ Turgor Vitalis *dici poſſit, repetendae videntur.*

II.

Tendines non ſenſiles eſſe videntur.

III.

Cerebrum ad vitam non eſſe requiſitum neceſſarium ſtatuimus.

IV.

Quum ſexus ſequior potiſſimum ſolidorum debilitate laboret, eique abuſus potuum aquo-

ſo-

ſorum, praeſertim in hac regione, ſit familiarior, ultro patet, eum ſeroſae colluviei neceſſario magis eſſe obnoxium.

V.

Sententia Linnæi, omne vivum ex ovo, *eſt falſa.*

VI.

Plantarum vita exercetur per agitationes ſucci in vaſis, et aëris in tracheis.

VII.

Circulatio vera in plantis non datur.

VIII.

Methodica vegetabilium notitia Medico perquam eſt neceſſaria, ſi quidem plantæ, genere et

et ordine naturali inter ſe congruæ, viribus etiam plerumque conveniunt.

I X.

Caveat obſtetrix, ne foeminam doloribus niſum addere jubeat, antequam uteri orificium ſit deterſum.

X.

Placenta, foetu excuſſo, non protinus inmiſſa manu eſt excutienda, verum, ſi commode comparari poſſit, etiam non relinquenda.

X I.

Cavendum, ne placentam ſolvendo uteri ſubſtantia laedatur, adeoque methodus, qua illa digito in unci formam flexo extrahitur, eſt rejicienda.

XII.

XII.

Diviſio infantis juxta Celeb: BAUDELOCQUIUM *in varias corporis regiones, earumque regionum juxta quatuor pluresve titulos ad centrum oræ ſuperioris pelvis minoris oblatio, etſi non ſemper naturae congrua eſſe obſervetur, in arte obſtetricia tantae videtur eſſe utilitatis, ut earum neglectus in praxi plus ſemel noceat.*

ERUDITISSIMO

STEINIO,

FELICITER.

Eſt haec illa dies, qua grata voce Thalia
A te jam nomen carminis ire cupit:
Eſt haec illa dies, quae gaudia fronte ſerenat,
Quaeque parat capiti laurea digna tuo. —
Haec nos meta manet; ſtatio, gratiſſima gnavis,
Non intermiſſo digna labore peti!
Tendimus huc omnes, palmae quos currere amore,
Quos mentem ſtudiis excoluiſſe juvat. —
Te tua deficiat nunquam conſtantia! namque
Diſſimili curſu pergere turpe foret.
Sic vivas felix! creſcat tua fama medentis!
Dum Te poſt cineres gloria magna beët! —

W. W. RYNINK CORTS,
Med Stud.

Leidae XXX. *Maji*
CIↃIↃCCLXXXXIX.